
Imm. Lunerij
Med^{ri} Prof^{rd}

ACCADEMIA DI MEDICINA DI TORINO



D. CAROLI GEORG. THEOD. KORTUM

MEDICI TREMONIENSIS

COMMENTARIUS DE VITIO SCROFULOSO QUIQUE INDE PENDENT MORBIS SECUNDARIIS

QUI NUPER ILLUSTRIS SOCIETATIS REGIAE MEDICORUM QUAE PARISIIS EST PLAUSUM TULIT.

Tomus Primus.



LEMGOVIAE,

in Officina Meyeriana, MDCCLXXXIX.

Viris

Illuſtribus, Excellentiſſimis, Experientiſſimis

Io. Andreae Murray, D.

Equiti Ord. Reg. de Waſa,

Conſiliario R. Brit. Aulae, Med. & Botan. Profeſſori Ord. in Acad. R. Götting. &c. &c.

Auguſto Gottlieb Richter, D.

Conſiliario R. Brit. Aulae & Archiatro, Med. & Chir. Prof. Ord. in Acad. Georg. Auguſta, rel.

Io. Friderico Blumenbach, D.

Conſiliario R. Brit. Aul. Med. Prof. Ord. in Acad. Georgia Auguſta, rel.

Praeceptoribus ſuis atque
Patronis

ob plurima atque inſignia in ſe merita
aeternum ſuſpiciendis

Qualecunque hoc ſtudiorum ſuorum
ſpecimen

in grati animi teſtimonium

a c

nunquam deponendae pietatis documentum ea,
qua par eſt, Obſervantia

D. D. D.

Auctor.

Praeſamen.

Earum quidem aegrotationum generi, quarum, quamvis frequentes ſatis & graviſſimae profecto ſint, neque vis & natura hucusque a medicis inveſtigata ſatis atque patefacta, neque medela certa ſibique conſtans reperta ſit, ſcrofulas etiam morbosque ſcrofuloſos annumerandos eſſe arbitror. Quantam hodie cachexia ſcrofuloſa, in Anglia praeſertim & Gallia vitae humanae perniciem afferat, quot ſtrages edat, & quantopere vis eius in qualibet fere morbo-

rum varietate producenda graſſetur, fugit certe neminem. Quorum quidem ea pertinacia eſt, ut haud raro omnem ſagaciſſimorum operam eludant; id quod magnam certe partem inde derivandum videtur, quod medici in ſcrofularum tum indole disquirenda, tum propria medendi ratione invenienda, non ea cum diligentia & aſſiduitate verſati ſunt, quam gravitas atque atrocitas iſtius mali omnino requirere videtur.

Antiquiores ante fere medium ſeculi, quo vivimus, vitii ſcrofuloſi vim atque naturam non ſatis cognitam perſpectamque habuerunt, ſcrofulas potius cum aliis quibuscunque ad collum natis tumoribus confundentes; quaeque de illis tradiderunt, paucis quibusdam exceptis, parum afferunt bonae frugis. Recentioribus vero, licet illud, magnum profecto, meritum ſemper maneat, quod ad cachexiam ſcrofuloſam, innumerosque & difficillimos inde pullulantes morbos, magis attenti, in ſcrofulo-

fuloſorum affectuum natura declaranda, medelaque feliciori ac faciliori reperienda curatius verſati ſint, praeclaraque multa & utilia in ſcriptis ſuis tradiderint; tamen plurima adhuc, quae pertinent argumentum noſtrum, disquirenda reſtant, necdum exſtat doctrina paullo fuſior & disquiſitio accuratior ſcrofularum & morborum ſcrofuloſorum, ita comparata, ut omnibus, quae de hoc malo hucusque obſervata & apud Auctores valde diſperſa leguntur ſuperſtructa, exactam atque completam morbi hiſtoriam contineat. Et, quam SAUVAGESIUS *) ſuis iam deſideravit temporibus *ſcrofuloſi morbi ejusque ſpecierum utcunque valde frequentium fidelem & accuratam hiſtoriam*, eandem & nobis nondum eſſe datam, haud poſſumus diffiteri.

Lubet hoc loco enumerare praecipua ea ſcripta, quae ex inſtituto atque ſeorſim de

*) Noſol. meth. T. III. P. II. p. 409.

de ſcrofulis tractant; omiſſis tamen antiquioribus, (quae in *bibliotheca chirurgica* Cl. DE VIGILIIS von KREUZENFELD videri poſſunt,) nec non iis, quae unum alterumve morbum ſcrofuloſum ſecundarium disquirunt.

Multum ſane ad perfectiorem ſcrofularum cognitionem contulere commentationes illae, quas ad quaeſtionem ab Academia Regia Chirurgorum Pariſina propoſitam conſcripſere Clmi Viri, FAURE, BORDEU, CHARMETTON, MAJAULT, GOURSAUD, & Anonymus quidam, quaeque in *Recueil des pieces, qui ont concourû pour les Prix propoſés de l'Academie Royale de Chirurgie.* T. III. Paris. 1759. 4. iunctim typis excuſae ſunt *). Multa tamen in hiſce com-

*) BORDEVII Diſſ. recuſa eſt Paris. 1766. 12. cum libello *du tiſſu muqueux;* etiam CHARMETTONI libellus ſeorſim prodiit cum titulo *Eſſay theor. & practique ſur les ecrouelles,* Avenioni 1752. 12. & ſ. t. *Traité ſur les ecrouelles*, ibid. 1755. 12.

commentationibus, quas nuper Cl. CHAPPOT (*Journal de med.* T. LIV. p. 385. ſq.) rigoroſiori cenſurae ſubiecit, deſunt, alia non ſatis recte vereque ſunt dicta, vel in noſtra non amplius quadrant tempora.

RENARD *Eſſay ſur les ecrouelles*. Paris 1769.

Traité des ſcrophules, communement nommées ecrouelles, par M. P. LALOUETTE. Paris 1780. 1782. T. I. II.

Ex Anglis huc pertinent:

RICH. WISEMANN in *ſeveral Chirurgical treatiſes* L. IV. Potiora ex rariori libro momenta excerpta leguntur in IO. ALLEN *ſynopſ. med. pract.* p. 445.

GIBBS *Obſs. of various cures of ſcrophulous diſorders commonly called the Kings-evil.* Lond. 1712. Vid. Act. erud. Lipſ. 1712. Dec.

RICH. BULTON *phyſico-mechanical account of the Gout, Kings-evil* &c. Lond. 1715.

ROBERT WILLAN *on the Kings-evil.* Lond. 1746.

QUIN-

QUINCY *Eſſay of the Evil.* (Commemorat hunc librum SAUVAGES.)

BLACKMORE *of the Kings-evil;* (citante b. MANGOLD *Diſſ. de generibus & ſpec. ulcerum* §. XI; qui ampliſſimam hic reperiundam ulcerum ſcrofuloſorum deſcriptionem laudat.)

WILLIAM SCOTT *diſſ. on the ſcrophulae or Kings-evil.* Lond. 1759.

An eſſay on the nature and cure of Kings-evil by a private Gentlemann of Hallſted in Eſſex. Lond. 1760.

DURANT *treatiſe on the Kings-evil.* Lond. 1762. 63.

GUILL. MITCHELL *diſp. de ſcrofula.* Edinb. 1766.

MORLEY *Eſſay on the nature and cure of ſcrophulous diſorders.* Lond. 1770. ed. 7.

THOMAS WHITE *über Scropheln und Kröpfe, nebſt der Widerlegung ihrer Erblichkeit. Aus dem Engliſchen, nebſt einem*

nem Anhang des Ueberſetzers; (cl. DIEL). Offenbach am Mayn. 1788. 8.

Inter Theotiſcos nemo peculiarem de ſcrofulis librum ſcripſit, a quibusdam diſſertationibus ſi diſceſſeris, quarum praecipuae ſunt:

DE HEUCHER *diſſ. de ſtrumis & ſcrofulis*. Viteb 1707; recuſa in Opp. ejus ab HAENELIO editorum T. I.

KüCHLER *diſſ. de glandulis puerorum colli tumefactis*. Lipſ. 1723.

WOLFSTEIN *diſſ. de ſcrofulis*. Jen. 1775.

TOETTELMANN *diſſ. de ſcrofulis & morbis ſcrofuloſis*. Gotting. 1778; quae quidem plurima utilia ex Auctoribus multo cum ſtudio collecta ſiſtit, eo tamen inprimis vitio laborat, ut ſtrumas iuguli ſ. bronchocelas a ſcrofulis non ſatis diſtinguat, ſed utrumque morbum, toto certe coelo diverſum, coniunctim & promiſcue pertractet.

P. A.

P. A. BOEHMER reſp. POSSE *diſſ. de cognoſcendis & ſanandis ſcrofulis.* Hal. 1783.

I. C. H. ACKERMANN *de ſcrophularum natura.* Lipſ. 1787. praeſide Cl. BOSE.

Varia quoque in ſcriptis illis, quae de morbis glandularum in univerſum tractant, circa ſcrofulas notantur. Sunt vero inprimis opera RICHARDI RUSSELL, nempe

Diſſ. de tabe glandulari & uſu aquae marinae in morbis glandularum. Lond. 1750. &

Oeconomia naturae in morbis acutis & chronicis glandularum. Londin. 1755.

Nec non

C. A. DIETRICH *diſſ. de morbis glandularum.* Lipſ. 1758.

Haecce vero ſcripta de ſcrofulis ex inſtituto praecipientia, partim ſunt minus nota neç in bibliopoliis reperiunda, partim incompleta vel ita comparata, ut lectori non ab omni parte ſatisfaciant.

Innu-

Innumera vero eaque praeclara de morbo noſtro diſperſa ſunt in Actis variis Societatum literariarum, in compendiis practicis aliisque libris tum antiquis tum recentioribus. Praecipuae fere de affectibus ſcrofuloſis obſervationes reperiuntur apud medicos Anglos & Francogallos, quibus quidem in terris ſcrofulae frequentiores & maligniores eſſe videntur; quae utilia ſint, exceptis temporibus recentiſſimis, paucioraapud Germanos, non niſi pauciſſima apud Batavos, Suecos & Italos occurrunt.

Quae quidem omnia ex Auctoribus collecta & undique conquiſita, inter ſe comparare, diiudicare, propriis obſervationibus illuſtrare, proinde ſcrofularum indolem, cauſas, medelam, morbos denique ſecundarios ad unum omnes fuſius & ex inſtituto pertractare, mecum conſtitueram. Et tale quidem opus eo utilius & eruditis acceptius fore credidi, cum de affectionum ſcrofuloſarum frequentiſſimarum

rum graviſſimarumque longa ſerie ſimilis liber plane nondum exſtet.

Cum itaque iam bene multa ad ſcopum meum facientia congeſſiſſem, & in elaborando libro iam multum eſſem progreſſus, legi exeunte demum anno 1786. in diariis publicis literariis relationem de quaeſtione ab *Ill. Societate Regia medicorum*, quae Pariſiis eſt, propoſita, cuius haec formula erat:

Determinetur, quaenam circumſtantiae maxime faveant evolutioni vitii ſcrofuloſi, & disquiratur, quaenam remedia, diaetetica ſint, ſive pharmaceutica, apta exiſtant, ad illius progreſſum retardandum, vehementiam infringendam, atque morbos ſecundarios, cuius vitium illud cauſa eſſe poteſt, praecavendos *).

Haec

*) Determiner, quelles ſont les circonſtances, les plus favorables au developpement du vice ſcrophuleux, & rechercher, quels ſont les moyens, ſoit diaetetiques, ſoit medicinaux, d'en

Haec quaeſtio, quae certe aevo noſtro, quo morborum ſcrofuloſorum late patens dominium in dies magis innoteſcit, apprime accommodata erat, me impulit, ad opuſculum meum eo maiori cum ſtudio elaborandum, ſtatimque conſilium cepi, illud diſſertationis reſponſoriae inſtar, *Societati Reg. Medicorum* transmittendi. — Cancellos tamen & limites in argumento perſequendo arctius non contraxi, nec rationem formamque tractatus mutavi, probe licet perſpiciens, illum formam diſſertationis academicae de praemio certantis minime referre, cum partim nimis eſſet prolixus, omniaque morborum ſcrofuloſorum momenta concerneret, partim praeter proprias quasdam obſervationes aliorum praecipue obſervata atque opiniones congeſtas & diiudicatas ſiſteret. Nihilomi-

---

d'en retarder les progres, d'en diminuer l'intenſité, & de prevenir les maladies ſecondaires, dont ce vice peut être la cauſe.

hilominus inclyta Medicorum Societas qualecunque meum Opuſculum non ſine plauſu aliquo excepit, nec ſine laude de illo decrevit; quippe illius in conſeſſu d. xx Febr. a. 1788 habito honorificam mentionem iniecit, illudque dignum cenſuit, quod typis evulgaretur.

Cum interim dies diem doceat, & equidem, librum Ill. Societati praeſtituto termino transmiſſurus, in elaborando illo ob temporis anguſtiam non ſine multa feſtinatione procederem, non ea praeciſe forma Tibi, L. B. hic trado meum opuſculum, qua illud Pariſios miſi, ſed illud cum ſtudio retractavi, in plurimis locis auxi, in aliis correxi & emendavi, & in cunctis fere ſui partibus perfectius longe reddidi.

Minime tamen is ego ſum, ut, multis adhuc laborare defectibus opellam meam, nec forſan ſine erroribus mendisque eſſe, probe non cognoſcam. Tenuiter potius de me meisque ſentio, grataque agnoſcam mente, ſi, in quae ego incidi, errata, medici

dici me ſolertiores eruditioresque, annoſa atque repetita experientia melius edocti, libere ac palam arguant. Ut ne tamen acriori ſeveriorique cenſura Ariſtarchi librum meum perſtringant, equidem, ſi quis ullus, non tam ſperare potero, quam expetere potius atque poſtulare. Cogitent velim Lectores, argumentum non latiſſimi ſolum eſſe ambitus, ſed difficillimum inſuper, ſpinoſum, tricarum pleniſſimum, a pauciſſimis cum ſtudio disquiſitum; me vero partim eſſe iuvenem vix per triennium in praxi verſatum clinica, partim ab amplarum bibliothecarum conſortio remotum eſſe atque in loco degere, qui ad reprimendos, quam excitandos ingenii conatus, ad obtundendos, quam acuendos ſtudii ſtimulos aptior natus videatur.

Ceterum tres in partes librum diduxi, quarum prior ſcrofuloſi vitii pathologiam, altera therapiam contineat, tertia denique potiores morbos ſcrofuloſos ſecundarios, phthiſin videlicet, oſſium atque articulo-

rum, uti & oculorum morbos, affectus cutaneos &c. quatenus a labe ſcroſuloſa pendent, ſigillatim pathologice & therapevtice perſequatur. Duobus tres haſce partes Tomis comprehendam, quorum prior hic praeter primam partem, ſecundae etiam ſectionem priorem complectitur.

Commentarii
de
Vitio ſcrofuloſo
Pars prior
Pathologica.

INTRODUCTIO.

§. I.

Succincta acutorum morborum cum chronicis comparatio.

Qui humanum corpus affligere ſolent, morborum, alii, acutorum nomine venientes, brevi ſpatio decurſum ſuum abſolvunt & plus minusve vehementibus atrocibusque ſymptomatibus a febrili potiſſimum motu pendentibus ſtipati ſubitaneum ſaepe vitae periculum minantur. Et hos quidem morbos mirum non eſt ab hominibus quam maxime reformidari & auxilia contra eos anxie ſtudioſeque quaeri. Vel ii ipſi, qui quocunque alio aegritudinum genere, cuius non tanta vehementia oculos incurrit, cuiusque ſanationis ſpes vitaeque periculum tam brevi temporis ſpatio non circumſcribitur, laborantes, medicos & omnia remedia reſpuunt, acuto morbo correpti avide eadem repetunt. Nec medelae, in plerisque dixerim caſibus, ſucceſſus deeſt. Licet

 enim

enim morbi febriles corporis fere omnes functiones pervertant depraventque, hominemque ſibi ipſi plane diſſimilem reddant & cunctis primo intuitu medelae viribus maiores videantur, ſuppetit tamen ea hic, quam alibi, potentior. Hic, inquam, eſt locus, ubi praeſtantia artis evidentibus cognoſcitur effectibus, laudemque & gloriam illuſtrem medicis foenerandi acuti morbi aptiores nati ſunt quibuscunque aliis. Vires providae naturae medicatrices hic ſe praebent efficaciſſimas, quin vel ipſe acutorum affectuum character principalis, & ſymptoma praecipuum, febris nempe, conſentientibus omnibus, molimen naturae ſalutare habetur. Praeterea quoque ars hic quamplurimum valet, pyretologia naturae nutu ad ſimpliciora principia reducta. Cum enim recentiores medici viam, ab antiquiſſimo naturae ſectatore, magno puta Hippocrate, praemonſtratam reſumerent, ſtudioſeque ad febrium naturam, decurſum, cauſas, ſymptomata, exitum &c. attenderent, & ex ſola obſervatione absque futilium ſectatione hypotheſium pathologiam earundem conderent eique medelam rationalem ſuperſtruerent, in quamplurimis momentis ſibi eſſe ſimiles quoscunque morbos febriles, & ad paucas redigi poſſe claſſes cognoverunt, ſimplicioriſque naturae eſſe, quam vulgo crederes. Paucioribus igitur indicationibus febrium nititur medela, in earundem innumeris ſpeciebus quatuor vel quinque potiſſimum modis differens *).

Longe

*) P. G. SCHROEDER opuſcula medica, SELLE pyretolog. &c.

Longe vero alia eſt ratio chronicorum morborum. Hi lente procedunt, lentum incrementum, larvata ſaepe ſub ſpecie, capiunt, per longum tempus durant, haud adeo gravibus plerumque ſymptomatibus terrent, nec evidenter vitam tentant, plurimas potius functiones illaeſas relinquunt, ita ut ſuetis negotiis ſanorum inſtar ſaepius defungi queant aegroti. Periculum vero non minus ac in acutis hic urget, quinimo ſaepe longe maius, licet non adeo ſtatim pateat. In tenebris quaſi morborum chronicorum quamplurimi ſerpunt, quos tamen corripuere, certo fere perdunt. Dolendum quippe eos, a potiori ſi rem determines, difficilius longe curari acutis. Sagaciſſimorum haud raro medicorum hic ſubſiſtit dexteritas humanaeque artis imbecillitas hic certe, quam alibi, cernitur frequentius. Non una, ſed plures rationes exſtant difficilioris morborum diuturnorum medelae. Primo enim natura rarius, vel ſaltem minus efficaciter, ac in acutis, medicorum operam adiuvat; quin naturam fatiſcentem praecipuum lentorum affectuum conſtituere characterem, facile dixeris *). Deinde eorum cauſae diu in corpore latent, antequam praeternaturalia animadvertantur ſymptomata morbusque erumpat. Quod quidem permultum confert ad arduam reddendam tum diagnoſin, tum curationem; illam quidem, dum ſemina morborum diu clanculum corporis latebris inhaerentia ſanitati eiusdem lentas

*) Interim accedunt chronicis morbis aliquando paroxyſmi acuti, quaſi febriles, quod tempus, quia occaſio praeceps, agendi pro medico aptiſſimum, & feliciſſimum utplurimum pro aegroto eſt.

tas inſidias ſtruunt, antequam effectis id ſatis clarum fiat, aegrotos ad auxilium medici maturius implorandum impellentibus; hanc vero idcirco potiſſimum, quoniam, quo altius radicatae fuerint diutiusque inhaeſerint cauſae morbificae, eo difficilius ſe tolli patiantur. Porro longe difficilius utplurimum deteguntur chronicorum morborum cauſae, quam acutorum. Illic ad univerſam vitam anteactam reſpiciendum, omnesque circumſtantiae, quibus quantumvis exigua vis nocens ineſſe videtur, trutinandae ſunt, quo praeſentis morbi indoles eluceſcat. Et nihilominus perſaepe omne ſcrutinium omnisque labor irrita ſunt, ita ut aegris aliquam medelam vel ſaltem levamen conciliare nitentes, curationem dubiis indicationibus ſuperſtruere, vel contra ſymptomata dirigere, vel denique empirico prorſus modo rem agere cogamur. — Accedit, quod aegroti in morbis diuturnis utplurimum ſint impatientes, inobedientes, ad medici mandatum minus obſequentes, taedioque longae curationis protractique medicaminum uſus afficiantur & in nimis longa diaeta frequentius delinquant.

Denique formae, quibus ſe nobis offerunt morbi chronici, eiusdem licet naturae & indolis, & ſymptomata, quibus ſtipantur, mirum quantum in diverſis aegris, quin iisdem, diſcrepant; id quod diagnoſi haud levia ponit impedimenta & generatim doctrinam horum affectuum in inſignem dilatat amplitudinem. Hinc certe non mirum, hiſtoriam & naturam chronicorum affectuum nondum adeo evolutam & ad liquidum perductam eſſe ac acutorum. Videtur fere inſignis negotii difficultas plures medicos a curatiori eorum indagine deterruiſſe. Querelae quidem de re-

refractaria diuturnorum morborum indole ac de tenebris, quibus doctrina eorum adhucdum ſepulta iacet, in ore omnium reſonant; attamen, ſi luſtremus omnia, quae recentiori praeprimis aevo in medicina practica praeſtita ſunt, longe plures, ratione habita, medicos in acutorum morborum natura declaranda medelaque facilitanda & emendanda occupatos fuiſſe reperiemus, quam in chronicis perſcrutandis deſudarunt. Febrium doctrina medicorum ſcripta ubique ſcatent, chronicorum vero morborum plurimi iique ſat graves, vilipenduntur, rarius commemorantur vel verbulo tantum tanguntur breviſſimeque abſolvuntur, & perraro paulo fuſius pertractati leguntur; ex quorum cenſu, fere dixerim eſſe quoque ſcrofulas, ille morbus, circa quem libelli noſtri cardo verſatur.

Forſan difficultas diſquiſitionis, forſan periculum minus urgens minusque ſubitaneum, forſitan denique exigua, nec evidens ſatis gloria, ex morborum chronicorum curatione, quae lentiſſime utplurimum procedit, conſequenda, in cauſa fuit, cur medici hos affectus non pari ſtudio, ac alios, inquirerent.

§. 2.

Quanam ratione iuxta cauſarum conſtituentium differentiam in claſſes quasdam generaliores diſtribui queant morbi diuturni.

Diſtributionem morborum acutorum iuxta cauſarum praecipuarum differentiam inſtitutam, in inflammatorios nempe, putridos, bilioſos, pituitoſos, nervoſos &c. inſignis ad praxin utilitatis eſſe, hodie ab omnibus agnoſcitur; ſiſtit quippe indicationum therapevticarum fundamentum. Simili

mili forſitan ratione chronici etiam affectus in claſſes quasdam generaliores diduci & ad ſimpliciora principia redigi poſſent.

Sequentes vero eſſe videntur praecipuae quorumcunque morborum diuturnorum cauſae, quas, qui tollere ſatagit, indicationibus certe omnibus in chronicis morbis attendendis ſatisfacit. Non vero poſſunt non hae cauſae multiplici inter ſe ratione complicari atque concurrere, cum una ab altera quodammodo dependeat, omnesque natura inter ſe cohaereant.

1) *Debilitas.* Maxime certe vulgaris, ne dicam univerſalis cauſa morborum diuturnorum. Rariſſime hi in robuſta tyrannidem ſuam exercent corpora, (quae acutis potius patent affectibus) ſed imbecilliorum ſunt peculium. Eſt debilitas vel *connata* vel *acquiſita;* illa noſtro ſeculo, proh dolor! in plerisque melioris conditionis hominibus occurrit, cum luxuries aliaeque innumerae hic non enarrandae cauſae magnam generis mortalis partem adeo infirmarint, ut parentibus debiliores naſcamur, mox daturi progeniem imbecilliorem; haec vero erroribus in vitae genere commiſſis contrahitur, quos corpus, ſatis licet robuſtum natum, impune non tulerit. — Sermo mihi hic de ea inprimis eſt debilitate, quam *phlegmaticam* commode dixeris, quaeque ſolidorum laxitate & infirmitate conſpicua eſt, cum alia, *nervoſa* nempe ſive *hyſterica* poſtea demum nominanda ſit (no 5.) — Haec debilitas, ut cum ſuis ſequelis tollatur, requiruntur roborantia, tonica, tum ex pharmacevtico penu, tum ex diaetetico petita.

2) *Vitiata functio viſcerum chylopoeorum*, debilitatis univerſalioris (no. 1.) tum cauſa tum ſequela.

quela. Hinc concoctio & aſſimilatio alimentorum imminuta, turbata, depravata; hinc ſaburra atque cruditatibus primae viae totumque ſyſtema chylopoeëticum obruuntur — Hic omnium certe, ex quibus morboſae affectiones promanare ſolent, fontium eſt uberrimus; cuius mira vis ab antiquis iam notata, a recentioris vero potiſſimum aevi medicis in memoriam revocata, quotidiana obſervatione magis magisque confirmatur. Hic indicatio eſt, exturbandi ſordes & roborandi dein viſcera.

3) *Spiſſitudo & tenacitas humorum* vel *melancholica*, ut cum veteribus loquar, vel *pituitoſa*. Hinc infarctus & obſtructiones viſcerum praeprimis abdominalium, quorum late patens in producendis morbis potentia nuperius potiſſimum a KAEMPFIO fuſe docteque declarata fuit.

4) *Excretiones imminutae vel ſuppreſſae* cuiuscunque generis, ſive *naturales* ſint v. c. tranſpiratio, fluxus menſtruus, lotium retentum, alvus ſuo non rite fungens officio, ſive *praeternaturales*, veluti haemorrhoides ſuppreſſae, ulcera antiqua intempeſtive occluſa, exſiccatae defluxiones, repreſſi morbi cutanei & ſ. p. Multiplices profecto ex hoc fonte propullulant noxae. Excretionibus vero tempeſtive revocatis, confeſtim plerumque ſilent morboſi effectus, cuiuscunque generis & indolis fuerint.

5) *Spasmus.* Hanc vocem generaliſſimo ſenſu hic ſumi volo, ut nempe denotet irritationis quemlibet effectum, ſive in ſenſibilibus organis fiat, ſive in irritabilibus. Sic v c. tinnitus aurium in hyſtericis, diplopia a ſordibus primarum viarum & ſ. p. ſenſu practico ſub ſpasmis comprehendi

poſſunt

poſſunt commode. — Senſibilitas atque irritabilitas aucta, quam debilitatem hyſtericam ſ. nervoſam vocaveris, corpus ita diſponit, ut a leviſſimis cauſis, quae in ſanis nullum evidentem effectum producerent, graviter afficiatur. Iidem tamen effectus ab irritamento etiam graviori induci poſſunt, licet praediſponens cauſa deſit. — Hic tollenda irritamenta, ſopiendi ſpaſmi, & roborantibus nimia ſenſibilitas irritabilitasque abigenda.

6) Humorum a priva ſibi blanditie deflectentium *acrimonia*, quae cauſa morborum chronicorum fere univerſalis multiplicis valde indolis exiſtit. Nuperorum quosdam, qui cuilibet humorali pathologiae infenſi, omne propemodum acrimoniarum genus ex cauſarum morbificarum catalogo ablegare vel potius extrudere conantur, refellit ipſa natura atque experientia. Vel in ipſo corpore generantur acrimoniae vel ab aliis per contagium extrinſecus accedunt. Utrumque genus vel *manifeſtum* eſt, ſi nempe ſymptomata acrimoniae praeſentiam atque indolem ſatis arguunt, vel *occultum* ſ. *larvatum*, ſi non adeo patet, ſed longa demum ratiociniorum ſerie, cauſarumque praegreſſarum & ſymptomatum praeſentium ſtudioſa comparatione, (aegerrime ſaepe) eruitur; ſiquidem & haud raro acrimoniae fomes a parentibus in prolem quaſi per hereditatem propagatus, qui dein, poſt longum ſaepe tempus, accedentibus aliis cauſis erumpit. — Sunt quoque acrimoniae, quae ex acribus vel acritatem cuſtodientibus ingeſtis originem repetunt. — Indicatio eſt, acrimoniam corrigendi, ſi ſpecifica innoteſcunt contra eam, ſin minus obvolvendi vel quacunque via e corpore eliminandi.

Notan-

Notandum vero, iam recenſitarum cauſarum rariſſime unam ſolummodo vel alteram adeſſe, ſed multiplici eas ratione invicem complicari, veluti quoque acuti morbi vix unquam reperiuntur ſimplices v. c. mere inflammatorii, mere putridi &c. ſed plerumque cum aliarum claſſium febribus commixti. Nec, ſi cauſarum iſtarum naturam paullo attentius conſideremus, id aliter fieri non poſſe, dubitabimus. Una continet rationem exiſtentiae alterius; aliae ex aliis aptae interque ſe nexae deprehenduntur omnes. Sic debilitas corporis poſt ſe trahit excretiones imminutas vel ſuppreſſas; concoctionem, ad quam totius corporis vires cooperari debent, debilitatam; nec deerit acrimonia, quae ex dictis generatur. Ob ſolidorum infirmitatem ſanguinis etiam & humorum motus retardatus ac lentior redditus, eosdem inſpiſſari ſinit, atque generari obſtructiones atque infarctus. Si conſideremus excretiones ſuppreſſas ut praeexiſtentem cauſam, etiam inde debilitatem, viſcerum abdominalium turbatas functiones, ſpasmos, acritates humorum produci poſſe, facile apparet. — Verbo, quaelibet dictarum cauſarum in corpore exiſtens, alias illas tanquam effectus ſibi adſociare poteſt, & quaſi in circulum redeunt hic omnia. Interim hoc practicae utilitati noſtrae diviſionis nil demit. Semper enim una vel altera cauſa praevalet & rationem potiorem praeſentis morbi continet, cum ceterae ſecundario tantum modo concurrant. Ad illam, quae praevalet, detegendam & amoliendam praecipua medentis attentio debet eſſe directa; & hac ſublata ceterae tanquam effectus, in plerisque caſibus ſimul receptui canent: ſin minus, convenienti ordine quaelibet ſuis remediis removeatur.

Paucis

Paucis hiſce de natura morborum chronicorum in genere praelibatis, in uno eorum, vitio nempe ſcrofuloſo fuſius pertractando verſabimur. Pertinent quippe ſcrofulae ad morbos quoque chronicos illos, qui plurimum negotii faceſſunt medentibus, nec contemnendam ſymbolam ad facilitandam earum medelam allatum iri exiſtimo, ſi cauſae ſive characteris praevalentis in quolibet caſu ratio habeatur exacta, atque, licet ad multiplices cauſarum complicationes ſollicite etiam reſpiciendum ſit, praecipua tamen a ſecundariis rite diſtinguatur, eique accommodetur medelae genus.

PAR-

PARTIS PRIMAE

SECTIO I.

Morbi notio, variae appellationes, diſtinctio ab aliis, diviſiones.

---

§. 1.

Scrofularum *) notio.

Sunt, qui chronicis glandularum colli & cervicis tumoribus notionem ſcrofularum contineri pu-

---

*) Miror, a plerisque Auctoribus ſcribi ſcro*ph*ula (per ph) quaſi Graecae originis haec vox eſſet; cum tamen a latino verbo *ſcrofa* derivanda ſit, ideoque *ſcrofula* ſcribendum. Graecis vocantur hi tumores χοιραδες, quod revera idem eſt; χοιρας quippe deſignat ſcrofam ſ. porcam. Rationem nominis in eo ponunt nonnulli, quod ſuibus ſimiles tumores, qui Germanis *Finnen* vocantur, (quos tamen ad vermium veſicularium genus pertinere, nuper compertum) familiares valde ſint. Alii dicunt, a tumoribus ſcrofuloſis colla hominum ita quandoque incraſſari, ut collis ſuillis ſimiles evadant; quippe ex horum animalium collo pendere ſolent protuberantiae (*Klocken*). Iterum alii numeroſum ſcrofularum proventum eſſe

putant *). Cl. PLENK **) ait: induratio unius aut plurium glandularum colli vel axillarium ſcrofula vocatur. Haſce autem definitiones definito ſuo eſſe anguſtiores, facile quisque videt. Etenim ſcrofulae non a vitio topico, ſed a morboſa univerſi corporis, inprimis ſyſtematis lymphatici diſpoſitione, — a cachexia univerſali proficiſcuntur; proinde non ad ſingularem quendam ſyſtematis lymphatici per omne corpus longe lateque diffuſi locum effectus morbi adſtringuntur, ſed quascunque fere corporis partes concernunt. Docuit quippe experientia, vix eſſe locum, ubi non occurrant interdum ſcrofulae, nec conglobatas ſolum ſed omnis generis glandulas, quin alias quoque partes ab eodem vitio haud raro pati; licet negari omnino nequeat, malum in glandulis lymphaticis colli primo utplurimum ſe oſtendere. Rectius itaque definiuntur ſcrofulae per *glandularum, praecipue conglobatarum, indurationes ac intumeſcentias chronicas, ex ſingulari lymphae ſyſtematisque lymphatici vitio pullulantes, & peculiari utplurimum corporis habitu externo comitatas.*

In lympha inprimis ſcrofuloſum virus reſidere, tum ex frigida horum tumorum (inflammationem

---

aiunt, veluti porcorum ſoboles numeroſa eſt. Alii denique quidam a ſimilitudine cum ſcopulis e mari prominentibus & porci natantis ſpeciem referentibus, quos Graeci χοιραδες πετρας vocant, ortum nominis explicant. Perinde mihi eſt, quaenam harum ſententiarum veritati propius accedat. Sufficiat denuo originem vocis *ſcrofula* notaſſe, & orthographiam meam in anteceſſum paucis defendiſſe.

*) de HEUCHER Opp. ed. HAENEL. T. I. p. 276.

**) *Lehrgebäude von Geſchwülſten.*

nem difficillime concipientium) natura, ſanguineae congeſtioni prorſus contraria, ſatis patet, cum partes, quas primario occupant, luculenter coarguunt. Reliqua datae notionis momenta in progreſſu demum tractationis illuſtrabuntur.

§. 2.

Variae Scrofularum appellationes.

Et haec quidem (§. 1.) eſt idea, quam hodie omnes audito ſcrofularum vocabulo ſibi concipiunt, nullaque amplius ambiguitas circa hanc rem adeſt. Aſt vero, ſi morbi noſtri mentionem in antiquiorum ſcriptis quaerimus, rem non adeo expeditam deprehendimus. Mira enim quoad nomina eſt confuſio, ita, ut non ſub diverſis ſolum appellationibus idem morbus occurrat, ſed etiam vocabula ad noſtrum vitium pertinentia, ad morbos prorſus diſcrepantes deſignandos trahantur. Quinimo haecce denominationum varietas tantam perſaepe rei obſcuritatem affert, ut, quanam ratione te expedias, non videas, & ſcriptis huiusmodi perlectis, utrum de ſcrofulis dictum aliquid ſit, nec ne, dubites omnino. Nec difficulter huius confuſionis ratio perſpicitur. „Cum enim, ut cum SLEVOGTIO *) loquar, non pauci ſcriptores, priusquam anteceſſorum dogmata iuſta attentione inſpexerunt, animum ad ſcribendum impulerint, multi etiam a veterum lectione alieni, ſolaque ſuorum magiſtrorum informatione & empirica curandi methodo contenti obſer-

*) Diſſ. de tumoribus artuum fungoſis, Jen. 1715. §. 1.

obſervationes ſuas practicas cum aliis communicare allaboraverint, vix aliter evenire potuit, quam ut circa nomina morborum, quorum naturam a maioribus deſcriptam neſciverunt, haeſitantes, illis vel novas plane appellationes impoſuerint, vel a ſibi notis ſpeciebus, cum quibus ignotas in quodam tertio convenire animadverterunt, mutuatas, improvide tribuerint."

Varias interim appellationes collectas ſiſtere iuvabit, & ad dilucidandam morbi noſtri naturam haud exiguam ſymbolam conferet.

Apud Graecos veteres, HIPPOCRATEM, GALENUM aliosque, uti iam diximus, χοιραδες vocantur. Perſaepe ſcribunt χοιραδες και τα αλλα φυματα, i. e. ſtrumae & alia tubercula, quae HIPPOCRATES *) inter morbos magis adoleſcentium numerat, i. e. eorum, qui mediam habent aetatem inter illos, qui iam dentes ediderunt, quique ſunt pubertatis proximi: Tubercula itaque tanquam genus conſiderat, cuius ſpeciem ſtrumae conſtituant, docente quoque GALENO **). Valde mihi, dum antiquorum monimenta volvo, probabile videtur, paſſim apud eos *tuberculorum* nomine ſcrofulas etiam venire, uti &, dum legimus *ſtrumae & tubercula*, hoc ſaepe ita eſſe intelligendum, ut ſtrumae maiores tumores, tubercula vero minores glandulas tumefactas denotent. Quaedam tamen apud veteres protuberantiae in ſpecie & (κατ᾽ εξοχην) tubercula (φυματα) nominantur, quae dicit eſſe GALENUS †) *ſponte naſcentes*

*) Aph. III. 26.
**) Commentar. ad aphor. cit.
†) l. c.

tes & ſubito factas inflammationes, quae celerrime in altum attollantur acumen & celerrime etiam ſuppurentur: plurimamque horum, ſubiungit, *eſſe in inguinibus & alis generationem, quoniam & in his partibus plures ſint adenes, aptos natura ſua, ad illas ſuperfluitates prompte excipiendas;* ſtrumas (χοιϱαδες) e contra eſſe frigidae naturae.

Neque minus ſub ſimplici nomine glandularum (αδενων) uti & *bubonum* idem certe morbus occurrit. Diſtinxere quidem veteres aliquo modo αδενες, βȣβωνας & χοιϱαδες; definitiones vero ſingulorum horum affectuum tum non ſatis clarae & adaequatae ſunt, tum in ſubſidium vocata hodierna noſtra vitii ſcrofuloſi cognitione, ſatis arguunt, meras unius eiusdemque morbi varietates ſub diverſis memorari appellationibus. Dicit quippe GALENUS *), αδεν i. e. *glandula ſicca eſt conglobatio carnoſa vel carnoſus globus*, χοιϱας ſ. *ſtruma caro ſicca eſt, quae aegre diſſolvi poteſt.* Vox glandula hoc loco pathologico ſignificatu ſumitur, tumque definitio vix aliud quid innuit, quam leviorem gradum ſtrumae. Idem GALENUS alio loco **), *Quin*, ait: *etiam in collo & ſecus aures ſaepe glandulae intumeſcunt, natis ulceribus circa caput, collum vel aliquam ex vicinis partibus. Nominant autem ſic intumeſcentes glandulas bubones* (βȣβωνας). *Quodſi ſcirrhoſior earum partium phlegmone aliquando fuerit, ſtruma* (χοιϱας) *dicitur.* Strumam itaque a bubonibus diſtinguit ſolummodo natura magis ſcirrhoſa.

 Quod

*) in definit. medic.

**) Meth. medend. L. XIII. cap. V.

Quod ſpeciatim ad vocem *glandulae* ſignificatu pathologico ſumtam attinet, illa non niſi minorem morbi noſtri gradum apud antiquiores indicat. Tum Graeci, uti modo diximus, tum Latini antiqui (v. c. MARCELLUS EMPIRICUS) ea utuntur. *Strumae*, ait HUCHERUS *), profeſſor quondam Monſpelienſis, *differunt a glandulis ſubſtantiae ſuae duritie non reſolubili & inſuppurabili, pituitae ſcilicet gypſeae concretaeque & vere ſcirrhoſae, cum glandulae ipſae minus inveteratae & ex pituita magis conflatae digeri & diſſipari, atque adeo ſuppurari aliquando poſſint.* Et conſentiunt Auctores antiqui omnes, ſtrumas deteriores & contumaciores eſſe glandulis, tumores potius glandularum a lymphae ſanae exſuperantia & congeſtione in corporibus junioribus quandoque naſcentes ſimpliciter *glandulas* vocant **). Poſtea vero monſtrabimus, tales glandularum in junioribus tumeſcentias, licet in corpore perfecte ſano primo intuitu oriri videantur, revera eſſe initium vitii ſcrofuloſi. (§ 24) — Videntur etiam veteres iuxta numerum tumeſcentiarum minorem maioremve *glandulae* aut *ſtrumae* nomen impoſuiſſe, haſque praecipue adultis & annoſioribus, illas vero infantibus ac junioribus, in quibus molliores glandulae ac guloſitas maior, tribuiſſe, uti aperte innuit BERNARDUS GORDONIUS †). GUIDO DE CAULIA-

*) de ſterilitate, diaeta & therapia puerorum. 1619. p. 837. cf. ib. p. 538.

**) v. c. H. MERCURIALIS de morb. pueror. L. I. cap. 5. LAURENTIUS de mira ſtrumarum curatione. L. II. cap. 7.

†) in Lilio medicinae, Lugdun. 1574. p. 93.

LIACO *) ait: *Glandula ad formam glandis dicta, ſatis mollis, unica, mobilis & ſeparata, utplurimum in emunctoriis generata reperitur; ſcrofula ad modum ſcrofae porcinae plurificatur, dura, non omnino ſeparata, in collo utplurimum reperta.* b. SAUVAGES glandulam Avicennae ut ſynonimon *ſcirrhi lupiae* (ſp. 3.) ponit, quod quidem tumoris genus eo inprimis a ſcrofulis differat, quod ſit ſolitarium. — Videmus itaque glandulam a ſtruma iuxta Auctorum deſcriptiones diſcrepare non niſi minori duritie faciliorique reſolutione & minori tumeſcentiarum copia; & utramque affectionem unius eiusdemque morbi diverſum ſolummodo gradum eſſe habendam.

Veteres medici Latini, CELSUS, SCRIBONIUS, MARCELLUS, nec non PLINIUS &c. ſub nomine *ſtrumarum* morbum noſtrum commemorant, cum *ſcrofularum* vocabulum ad imitationem Graeci χοιϱας, apud paullo ſerioris demum aevi medicos, inprimis Latinobarbaros occurrat. — Etiam nuperrime cl. WHITE **) uti mavult voce ſtruma ab antiquis Latinis uſurpata. Apud proxime antecedentium ſeculorum medicos paſſim veniunt ſcrofulae ſtrumaeve etiam ſub appellationibus: *tubercula colli*, *extuberantiae* ſ. *excreſcentiae glandularum colli*, *Hydrops glandularum colli*, nec non †) *Bronchocele ſpuria.* Ceterum Gallis vocantur *ecrouelles*, *ſcrofules* (aegrique *ſcrofuleux*, *ecrouelleux*, *glandés*, *ſarcineux*) nec non *mal du Roi*,

 veluti

*) Chirurgia p. m. 77.

**) *Ueber Scropheln und Kröpfe* p. 1.

†) Vid. Cl. THEDEN *Unterr. f. Unterwundärzte*, ed. 3. p. 275.

veluti Anglis *Kings-evil*; apud Germanos audiunt *Scrofeln*, *Kröpfe*, *Drüſengeſchwülſte*, *Wachsdrüſen*, & ſpeciatim colla infantum occupantes *Hagknopſen* dicuntur.

En! itaque ingentem denominationum varietatem, quam medicorum, inprimis antiquiorum monumenta morbum noſtrum concernentia luſtrantes probe obſervare debent, ne diverſa mala confundant, eademque revera diverſa reputent. Apud veteres Graios & Latinos aliquam iam adeſſe nominum confuſionem & ambiguitatem, mox adducta loca comprobant, quae vero ſeriori aevo aucta potius, quam minuta cernitur.

§. 3.

Quinam morbi paſſim apud Auctores cum ſcrofulis male confundantur.

Sed iam ad alteram confuſionem, quae in medicorum ſcriptis circa morbum noſtrum regnat, accedamus, & illam quidem priori (§. pr.) longe difficilius extricandam; dum quippe appellationes ſcrofulis competentes, & ad diverſos plane morbos trahuntur. In his vero tricis expediendis ita verſabimur, ut diverſos morbos, qui a ſcrofulis probe diſtinguendi ſunt, ex ordine enumeremus, ſimulque errores Auctorum indicemus. Monitum TAGAULTII *) huc trahamus: *Res ipſa eſt attendenda, nominibus vero parum fidendum, cum eadem vox ſaepe apud varios auctores variam ac longe diſſidentem habeat ſignificationem.*

Vel

*) Inſtit. chir. L. II.

Vel ab antiquiſſimis iamiam temporibus tumores in glandula thyroidea vel circa illam, quos nonnulli *Bocium* ſ. *ſtrumam iuguli* vocant, SAUVAGESIUS vero *bronchocelas* dixit, (quae appellatio CELSI *) iam GALENIque **) auctoritate nititur,) confuſi ſunt cum ſtrumis veteribus dictis ſive ſcrofulis; cum tamen utrumque malum penitus diſcrepet. Quem quidem errorem praecipuam cauſam fuiſſe dixerim, cur tam diu in tenebris latuerit vitii ſcrofuloſi indoles, & recentiſſimis fere demum temporibus curatius indagari ceperit. Usque ad noviſſima fere tempora bronchocelas & ſcrofulas ſub uno capite pertractant praxeos medicae vel chirurgicae pleraque compendia; ſtrumis iuguli privas cauſas ad ſcrofulas quoque trahunt, medelam utriusque mali eandem commendant; verbo, bina diverſa mala ſimul tractantes neutrum rite disquirunt, omniaque confundunt †). — Et facile quoque apparet disquirenti, unde haec confuſio ortum traxerit. Aliqua enim analogia eſt ſtrumas iuguli inter & ſcrofulas. Glandulam maiorem thyroideam tumentem ſatellitum inſtar comitantur utplurimum & quaſi ambiunt plures minores tumeſcentiae, quae ex parte ſaltem in glandulis colli lymphaticis, (veluti ſcrofulae) ſedem habere videntur, cum quilibet inſignioris molis tumor ſucceſſu temporis prope ia-

 centes

*) L. VII. c. 13.

**) Definit. med. *bronchocele tumor eſt, qui ad guttur naſcitur.*

†) Nuperius hunc errorem commiſere TOETTELMANN, (diſſ. de ſcrofulis) Cl. DANIEL, (in ſyſt. aegritud.) Cl. WHITE (libr. cit.)

centes lymphaticas glandulas tumeſcere faciat, mere quaſi mechanico prementeque effectu. Reſtringendum hinc erit aſſertum Clmi DIEL *) in bronchocele glandulas conglobatas prorſus non affici, licet non negandum ſit, minores iſtas tumeſcentias ſaepe eſſe ipſius bocii particulas lobuloſque. Hoc nempe utplurimum conſtat ex veſiculis multis varia materia plenis. Externae veſiculae maiores interioribus ſunt, quarum capacitas perpetuo decreſcit; quare difficulter exſecatur, remanentibus ſemper parvis illis veſiculis, quae facile de novo increſcunt, & perniocisſimam inexpugnabilium ſtrumarum ſegetem producunt, quasque hac de cauſa ſemina ſtrumarum appellat TULPIUS **). — Porro tumores cyſtici maiores, a ſcrofuloſa perſaepe cauſa oriundi, ſi circa collum & praeprimis paullo antrorſum ponantur, ſimilem illi faciem, ac in ſtruma iuguli, conciliant. Idea practica utriusque mali eadem fere, nempe ut reſolvatur tum internis tum extrinſecus applicatis remediis materia impacta; hinc & haud pauca medicamina utrique malo accommodata ſunt, v. c. ſpongia uſta, Mercurius &c. Denique tumor glandulae thyroideae a materie quoque ſcrofuloſa produci poteſt †). Sic puellam narrat Cl. THEDEN ††) ſexennem, cui ex ſcrofuloſa diſpoſitione, a voracitate atque ingluvie inducta tumebat glandula

*) apud WHITE l. c. p. 100.

**) L. I. cap. 46. cf. RONSTORFF (cl. LEIDENFROST) diſſ. de aſthmate. Duisb. 1783. §. 39.

†) Cl. SELLE Med. clin. edit. 2. p. 225; falſo negat DIEL l. c.

††) *Neue Bemerkungen*, I. p. 165.

dula thyroidea cum parotide. Ipſe glandulae thyroideae tumeſcentiam atque indurationem in puero ſcrofuloſo vidi; nunquam tamen hocce ſtrumae genus in magnam adeo molem, ac ceterae bronchocelae diſtenditur. Cl PLENK peculiarem glandulae thyroideae diſpoſitionem adſcribit, miasma ſcrofuloſum recipiendi *); quod vero aſſertum ex inepta illa ſcrofularum cum ſtrumis iuguli confuſione profectum improbandum certe eſt, cum perraro in ſcrofuloſis glandula thyroidea afficiatur, viceque verſa in bronchocele laborantibus nullum vitii ſcrofuloſi ſignum appareat. Recte monet PROSSER **) in ſtruma glandulae thyroideae endemia nullam ſcrofuloſam cauſam adeſſe, cum omnia illius indicia deficiant, & ſcrofulae infantes utriusque ſexus invadant, bronchocele vero ſolum fere ſequiorem ſexum inde ab anno duodecimo defoedare conſueverit. — Bronchocelae ſ. ſtrumae proprie dictae pertinent ad *excreſcentias* SAUVAG. vel *tumores* CULLEN. ſcrofulae vero ad *Cachexias*. „Si, ait STOLLIUS †): glandulae thyroideae tumor adſit ſolitarius, chronicus, indolens in *homine ceterum ſano*, ſique ſimul ſit endemium malum, ſtrumam dignoſces a ſcrofula.“ — Variae interim dantur bronchoceles ſpecies probe diſtinguendae, quas brevibus hic enumerare iuvat:

1) *Bronchocele endemia* in regionibus quibusdam, praeſertim montoſis, totius fere Europae. Hanc

*) *Lehrgebäude von Geſchwülſten* p. 88.

**) On the bronchocele or Derby-Neck.

†) Praelect. in diverſ. morb. chron. ed. EYEREL. p. 30.

Hanc probe iam norant veteres, uti patet ex illo IUVENALIS: *Quis tumidum guttur miratur in Alpibus* *)? Endemiae huic ſtrumae cum ſcrofuloſa cachexia nullus nexus eſt; malum potius mere locale videtur eſſe, cuius vero, quaenam praeciſe cauſa ſit, nondum cum certitudine evictum, nec mearum hoc loco partium eſt inquirere. Sufficiat notaſſe, plerosque hodie accuſare aquae ex colliquata nive vel glacie potum; cum experientia doceat, aquam per congelationem aere fixo orbatam & deliquatam iterum, ſi bibatur, glandulas tumidas reddere **). Hinc ſuadet Cl. SELLE †) in morbi initio aquam aere fixo impraegnatam copioſe potare.

2) Niſus vehemens effuſionem humorum, vel uti quidam volunt, ipſius aeris in celluloſam telam partium ad laryngem poſitarum efficere, tumidumque guttur reddere poteſt. Sic in feminis ſub partus laboribus, item ſub ponderis elevatione, egeſtione foecum alvinarum, vehementi repetita cachinnatione ††) & ſ. p. oriri interdum, conſtat, gutturis tumorem; quod quidem phaenomenon ex humorum in partibus ſuperioribus accumulatione explicari poterit.

3) Prolapſus tunicae internae aſperae arteriae tumorem quoque ad laryngem cauſatur, quod vitium, inſanabile fere, *κατ ἐξοχην bronchocele* i. e. hernia gutturis vocari meretur, nec ad ſtrumas proprie pertinet.

Quos

*) Satyr. XIII. v. 136.

**) vid. *Forſters Reiſen.*

†) l. c. p. 430.

††) RIEDLIN. lin. med. ann. II. M. Iun. p. 356. tale exemplum narrat.

Quos quidem tumores omnes ſcroſuloſis neutiquam annumerari poſſe, probatione non eget.

Alterum malum cum ſcrofulis ſtrumisve confuſum conſtituunt *tumores cyſtici* cuiuscunque generis. Anſam certe errori praebuit illa obſervatio, quod in ſcrofuloſis haud raro ſaccati tumores, multiplicem materiem continentes per totum corpus, inprimis vero circa collum generentur, & ab eodem viru producantur, quod conglobatas glandulas tumeſcere facit. (§. 10.) Hoc tamen non impedit, quo minus probe diſtinguamus tumores ſaccatos a ſcrofulis, cum illi non a ſcrofuloſa ſolum materie, ſed a plurimis aliis, iisque prorſus diverſis cauſis produci poſſint. — Quam vagus vocis *ſtrumae* quondam ſignificatus fuerit, exemplis nonnullis oſtendam.

Legimus de *ſtruma* grande in vulva ſupra pubem poſt puerperium orta *), de *ſtruma* urethrae urinae excretionem impediente **). BENIVENIUS ***) molem carneam ſexaginta libras pendentem, & a coxa mulieris per vinculum & candens ferrum reſciſſam, *ſtrumam* appellavit; carpit tamen eum hac de denominatione MARCELLUS DONATUS †), cum ſtruma longe diverſum ſit tumoris genus, glanduloſum nempe in proprio folliculo ſ. membrana contentum. CLEYERUS ††) tumores, quos St. Thomae Chriſtianorum Indiae Orientalis pedem

*) Miſc. Nat. Cur. Dec. II. ann. 6. app. p. 10.
**) M. N. C. Dec. II. ann. 10. obſ. 113. p. 207.
***) de abditis morborum cauſis. Cap. 13.
†) Hiſt. med. mirabil. L. V. cap. 3. p. 539.
††) M. N. C. Dec. II. ann. 3. p. 52.

pedem plerumque ſiniſtrum obſidere refert, *ſtrumoſos* nuncupat. LANGIUS *) refert, *ſtrumam* ingentis ponderis aurifabro in genu accreviſſe, quam quidem denominationem taxat SLEVOGT, cum de interiori tumoris conſtructione nil addiderit Auctor, talemque, ſubiungit, maſſam, tali in loco repertam ad aliud forſan genus tumorum trahendam fuiſſe, niſi ſubſtantia glandulosa ſtrumis potiſſimum competens eam inde ſecreviſſet **). Apud eundem LANGIUM ***) narratur, cuiusdam in inguinibus *ſtrumam*, aut, (quod addit) ſi mavis ſteatoma ponderis plus minus quadraginta librarum ſuccreviſſe. Tumorem glanduloſum ſcirrhoſum ad duorum pugnorum magnitudinem, in ſpatio ſuperiori, quo cor ſpectat inter utrumque ventriculi orificium, ſectione detexit & *ſtrumam* vocavit FRANCKENAU †). TIMAEUS A GüLDENKLEE ††) duos tumores in brachio & axilla adulti, iunctim ultra 16 libras pendentes, & ſcalpello feliciter ſublatos *ſtrumoſos* nuncupavit. Batrachion ſ. ranulam ſub lingua nonnulli ad ſtrumae genus retulerunt †††). Ingentem ovarii tumorem, innumera mala tandemque lethum afferentem *ſtrumam* appellat FORLANI ††††). — Ex paucis hiſce exemplis perſpicitur, tumores cyſticos omnis generis, quin alios etiam, paſſim ab aucto-

*) Epiſt. med. T. I. ep. 43.

**) Diſſ. cit. §. 27.

***) l. c. vel ap. SCHENCKIUM obſs. med. p. m. 735.

†) M. N. C. Dec. III. ann. 5 & 6 obſ. 175. p. 401.

††) Caſus medicinal. L. VI. caſ. 23. p. 285.

†††) WARTHON adenograph. p. 259.

††††) Rarior. obſerv. Dec. I. Seniſ. 1769. p. 27. ſq.

auctoribus, praeſertim antiquioribus, ad ſtrumas referri, licet glandulae colli tumidae aliave dyſcraſiae ſcrofuloſae indicia ſimul non adſint; id quod confuſas de morbo noſtro ideas ſatis arguit. Rectius CAROL. PATINUS *) tumorem ſubflavum, albicantem paululum fluctuantem, magnitudine pugni in dorſo, infra ſeptum transverſum ſeptennis pueri natum *ſtrumam* nuncupavit, cum cernerentur paſſim in collo cicatrices ſectarum antea & evulſarum ſtrumarum reliquiae collique glandulae ſimul tumerent.

Neque a ſcirrhis ſtrumas ſatis diſtinxiſſe antiquos, ex ſupra (§. pr.) paſſim adductis locis conſpicitur. Strumas nempe dicunt eſſe glandulas ſcirrhoſas; etiam ex eo, docente I. C. H. ACKERMANN **), patere videtur, veteres, praecipue HIPPOCRATEM ſcroſulas & ſcirrhos inter ſe permiſcuiſſe, quod plerumque topicum eſſe morbum exiſtimarint. GALENUS †) ait: *αδενες, ubi ad ſcirrhum devenerint, huiusmodi affectus χοιϱας vocatur;* ipſeque SAGAR ſcrofulas tumores *ſubſcirrhoſos* glandularum colli & meſenterii nominat. Conſtat vero inter omnes, praecipuam omnium fere ſcirrhorum ſedem conſtituere glandulas. Diſtinguuntur vero a ſcrofulis intenſiori & quaſi lapidea duritie, maiori inaequalitate, tuberoſitate, minori mobilitate, propenſione ad cancrum; ſcirrhi etiam ſecus ac ſcrofulae in conglomeratis glandulis primo plerumque atque ſaepius naſcuntur. Scrofulae fere

*) M. N. C. Dec. II. ann. 6. obſ. 35. p. 92.

**) Diſſ. de ſcrofularum natura, praeſ. BOSE. Lipſ. 1787. p. 5.

†) de tumoribus praeter naturam cap. XVII.

fere infantum, ſcirrhi adultorum ſunt peculium. — Utique tamen ſcrofulae ſcirrhoſae fieri poſſunt; — datur omnino ſcirrhus ex cauſa ſcrofuloſa; non vero omnis ſcirrhus talis eſt. Dyſcraſiae ſcrofuloſae ſigna diagnoſin formare debent.

Nec reticendum, quod ſcorbuti nomine interdum veniant ſcrofulae *); quae inepta ſane eſt confuſio, cum utrumque malum ne minima quidem intercedat adfinitas.

Ultimus antiquorum error, qui omnium maximi momenti eſt, in eo conſiſtit, quod glandularum quoſcunque tumores ſine diſcrimine ſtrumas l. choerades vocarint; cum tamen hodiernorum medicorum omnium conſenſu illae tantummodo glandularum tumeſcentiae ſcrofularum nomen mereantur, quae a peculiari iſta cachexia, ſcrofuloſa dicta, ad quam veteres non attenderunt, proficiſcuntur. Extitiſſe vero iam antiquitus ſpecificam illam ſcrofuloſam dyſcraſiam, noſque veterum de ſtrumis placita in rem noſtram iure meritoque hic vertere poſſe, alibi haud levibus rationum momentis demonſtrabo.

§. 4.

Quanam ratione ſtrumae a ſcrofulis apud varios Auctores diſtinguantur.

Licet antiquitus vox ſtruma a Latinis ad quoſcunque glandularum, praeſertim colli tumores deſignandos fuerit uſurpata, recentioribus tamen temporibus haec ſignificatio ſenſim fere eviluit; hodie-

---

*) Vid. MACBRIDE Introduct. T. II. p. 391. verſ. CLOSS.

hodieque utplurimum ſoli gutturis tumori ſtrumae nomen imponitur. — Dudum varii ſcrofulas a ſtrumis diſtinxerunt, verum neque hic conſentientes reperiuntur Auctores. FELIX PLATERUS ſtrumae, inquit, ſunt pauciores & maiores, ſcrofulae plures & minores. SENNERTUS *) ſtrumas eſſe dicit tumores ex carne ortos, ſcrofulas vero tumores membranula in glandulis incluſos atque induratos. Alii **) ſtrumam tumorem ſimplicem & ſcrofulas tumores magis multiplicatos & plerumque minores cenſent. Sunt quoque, qui utramque vocem endemio ſolum illi morbo applicant, & vel quamcunque bronchocelen ſcrofulam nuncupant ***), vel tumorem maiorem ſolitarium in anteriori colli parte *ſtrumam*, illius vero quaſi pediſſequos, vicinos nempe minores & magis multiplicatos *ſcrofulas* dicunt †). Tumoribus vero illis glandularum in collo puerorum appellationem ſtrumarum vel ſcrofularum non competere cenſent, ſed eos ſimpliciter *glandulas puerorum colli tumefactas* nuncupant ††). Ita quoque HEISTERUS †††), glandulas colli puerorum induratas tum

*) Pract. med. L. V. P. 1. cap. 33.

**) v. c. SPERLING diſſ. de ſtrumis & ſcrophulis. Vit. 1707.

***) v. c. ELNER in M. N. C. Dec. I ann. 1. obſ. 57. MUYS ad BARBETTE anat. pract. L. II. cap. 3. not. a.

†) FISCHER de ſtrumis & ſcrofulis Büngenſium. Erford. 1723.

††) KüCHLER de glandul. pueror. colli tumef. Lipſ. 1723. DIETRICH diſſ. de morb. glandul. §. IX-X.

†††) Compend. prax. p. 264.

tum demum *ſcroſularum* nomen adipiſci, innuit, ſi augeantur & multiplicentur, & ſi adhuc maiores fiant, *ſtrumarum*, licet hae haud raro ſcrofulae non ſint, ſed tumores potius tunicati vel ſaccati, varios humores pravos continentes, mirumque ſaepe in modum increſcentes. SAUVAGESIUS *) *ſcrophulam* vocat complexum omnium ſymptomatum morbi ſcrofuloſi, (quae quidem ſignificatio multis arriſit *ſtrumas* vero tumores iſtos in collo tanquam ſcrofulae ſymptoma. Cl. C. F. LUDWIG **) glandulas obſtructas colli, *ſtrumas*, totius corporis, *ſcrofulas* audire breviſſimis notat.

Cum verba ut nummi valeant, & hic non de rebus diſſentiatur, ſed tantum circa nomina rebus imponenda, mox laudatorum Auctorum loquendi modum ſigillatim diiudicare superſedeo. Interim mihi convenientiſſimum videtur, ut ſtrumae a ſcrofulis prorſus diſtinguantur, illudque vocabulum ſolis glandulae thyroideae tumoribus (*der Kropf*, *goitre* Gallis) reſervetur, ſive endemium hoc malum ſit, ſive ex aliis cauſis ortum. Sic v. c a vitio ſcrofuloſo profectum *ſtruma ſcrofuloſa* dicatur & ſ. p. Nomen *bronchocele* incongruum hic videtur; denotat enim herniam gutturis. Illud igitur praeeunte PLENKIO †) ſoli prolapſui tunicae internae aſperae arteriae tribuamus.

§. 5.

---

*) Noſol. method. T. III. P. II. p. 407.

**) Prim. lin. anat. pathol. §. 19. p. 23.

†) Libr. cit.

§. 5.

Diviſiones variae ſcrofularum iuxta externum tumeſcentiarum habitum.

Iam paucis in anteceſſum videamus, quanam ratione ſcrofulae ſecundum tumorum habitum atque circumſtantias externas a variis diſtribuantur. Quae quidem diviſiones, nullius ex parte momenti in progreſſu tractationis paſſim fuſius explicabuntur.

Sunt vel *benignae*, ab AETIO & PAULO AEGINETA *manſuetae*, ab aliis *) *legitimae* vocatae, vel *malignae*, ab AVICENNA *inflammatoriae*, aliis *canceroſae* dictae. Etiam LAURENTIUS **) in benignas ſ. manſuetas & malignas diſpeſcit. Illae ſunt cuti concolores, indolentes; hae vero ab acrimonia materiae inhaerentis inflammantur, exulcerantur & dolent & colorem rubicundum vel lividum repraeſentant. — Alia fere ratione BIERCHeN †) ſcrofulas in benignas & malignas dividit, prout alibi dicetur.

Aliae *inflammatae* ſua ſponte dolent, & vel ad ſuppurationem ulcerationemve, vel ad indurationem, ſcirrhum & canceroſam diſpoſitionem tendunt, aliae, *ſimplices* a quibusdam ††) vocatae citra inflammationem aliquam contingunt, &, niſi externe vis inferatur, indolentes ſunt.

Sunt porro *mobiles*, inter partes cutaneas ſitae, vel *immobiles* ſ. *fixae*, muſculoſis partibus pro-

*) CLAUDINI conſult. med. p. 785.

**) l. c L. II. cap. 2 p. 211

†) *Abh. von den Kennzeichen der Krebsſchaden.*

††) HUCHERUS l. c. p. 839.

profundius intertextae & quaſi radicatae; hae non libere moventur, ſed ad motum muſculi. Quae vero perioſteo aut ligamentis articulorum adnaſcuntur, immobiles planae ſunt.

Profundae aliae, aliae *ſuperficiales*. *Strumae* enim, notante GORRAEO *) *loco ſaepe differunt, ita ut aliae ſub cute ſint, aliae magnis vaſis penitus inſideant*. Profundas eſſe plerumque immobiles, mobiles rero ſuperficiales, per ſe patet. — Similis fere diviſio eſt in *externas*, extrinſecus conſpicuas, & *internas* **) viſceribus adhaerentes.

Tactu deinde ſunt *molliores*, curatu faciliores, ſive maturare velis, ſive diſcutere, vel *duriores*, difficilius tollendae.

Aliae *racematim* creſcunt, aliae ſeorſim & *ſolitariae*.

SAUVAGES ſcroſulas dividit in *occultas* & *apertas* ſ. *exulceratas*, ergo veluti cancrum.

*) in definit. med.

**) MANTANI in Nov. Act. N. Cur. T. IV. p. 85. ſq.

SECTIO

SECTIO II.
Scrofularum Symptomatologia.

§. 6.
Tumeſcentiarum deſcriptio.

Quemadmodum ſyſtema lymphaticum praecipuam atque primariam ſcrofularum ſedem conſtituit, ita & in glandulis lymphaticis tumeſcentiae primo utplurimum ſe oſtendunt. Quamdiu glandulae lymphaticae externae corporis ſuperficiei viciniores, integrae ſunt, nulloque vitio laborant, nil nodoſum, elatum aut aſperum ſive turgidum neque conſpici oculis neque tangi manibus poteſt; ſed ſi qua ſyſtematis lymphatici oritur obſtructio, humorumque in glandulis ſtagnatio, ſtatim exſerunt ſeſe & externe eminere incipiunt noduli, quos, ſi tetigeris, ſenſu facile diſtingues. Submolles quidem initio ſunt, aliquam tamen elaſticitatem produnt, progreſſu quoque temporis ſenſim evadunt duriores *). Magnitudi-

*) Quod Cl. BERTRANDI (*Abhandl. v. d. Geſchwülſten, überſetzt von* SPOHR. 1788. p. 360.) affirmat, duritiem interdum involucro tantum ineſſe, internam vero glanduloſam ſubſtantiam longe eſſe molliorem, & craſſamentis polypoſis, lymphaticis, coagulisque albis conſtare, non de conglobatis glandulis, ſed de tumoribus quibusdam cyſticis, de quibus poſtea, valere puto.

tudinem habent glandulae conglobatae tumidae, prout naturale earum volumen variat, piſi, phaſeoli, nucis avellanae, nucis moſchatae vel iuglandis; vix maiorem. Licet enim variae ad lymphaticarum genus pertinentes glandulae, axillares inprimis & inguinales, ſi tumeant, in ovi gallinacei & ultra, magnitudinem haud raro evehantur, cogitandum tamen eſt: in hiſce locis non unicam haerere glandulam lymphaticam, ſed plures earundem ſibi vicinas quaſi in acervum colligi & ſimul utplurimum morboſe affici. Generatim incrementum tumorum ſcrofuloſorum non adeo prioris tumoris diſtenſione fit, quam novarum potius indurationum appoſitione *). — Cernimus etiam perſaepe inſignioris voluminis tumores collum aliaque corporis loca in ſcrofuloſis deturpare, ſed hi vel ſunt varii generis ſaccati tumores infra commemorandi, vel in conglomeratis nec in conglobatis ſedem habent glandulis. Legimus demum paſſim mentionem iniectam ſcrofularum vel ſtrumarum ingentis magnitudinis, ponderisque 10-40-60 & ultra librarum, ſed hae *vel* ſunt ſteatomata, quae omnino & ex ſcrofuloſo vitio originem trahere poſſunt, *vel*, uti ſupra (§. 3.) notavimus, ſtrumarum nomen plane non merentur, ſed erronee ita dictae, *vel* denique endemiae illae iuguli ſtrumae intelliguntur; quam immanem enim in molem hae quandoque extendantur, ſpecimina ſtrumarum, ſuper abdomen usque pendentium, & ſpongiae inſtar mollium, quae delineari

---

*) BIERCHéN *vom Krebſe* p. 8.

neari curavit MITTERMAYER *), medicus Tyrolenſis, ſatis commonſtrant.

Glandulae lymphaticae circa collum & maxillam a refrigerio, catarrho, aliisque cauſis ſubito quandoque tument. Legimus quoque exemplum ſtrumae in viro pituitoſo unico mane deſubito ortae, cum antea nullum tumoris veſtigium adfuerit **). Scroſulae vero a parvis utplurimum initiis ſenſim paulatimque increſcunt & augentur, ſique quas in corpore deprehendimus, hae diu plerumque iam adfuerunt. Quo magis volumine augentur tumeſcentiae, eo firmiores evadunt atque immobiliores & cum vicinis partibus concreſcunt. Cl. BERTRANDI †) ſcrofuloſorum infantum cadavera ſecuit, in quibus glandulae colli tumentes involucro ſuo tam firmiter magnis colli vaſis accreverant, ut absque dilaceratione inde ſeparari non poſſent.

Sunt non pauci ††), qui tumores ſcrofuloſos lunae phaſibus convenienter periodice increſcere iterumque decreſcere ſtatuunt. Quam quidem ſententiam apud antiquiores communi conſenſu adoptatam dixeris, ſi illos tantum non omnes pulverum ſtrumalium uſum iuxta mutationum lunae ſeriem inſtituiſſe perpenderis. Saepius deriſum & ad ſuperſtitionem relatum aſtrorum, ſpeciatim

D 4

*) Diſſ. de ſtrumis & ſcrofulis; vid. HEISTER. chirurg.

**) VESTI append. ad CRAMERI Colleg. chym. obſ. 1.

†) l. c.

††) v. c. HüNERWOLF in M. N. C. Dec. II. ann. 5. obſ. 21. p. 34. KLAUNIG in Act. N. C. Vol. II. p. 34. RUSSELL oecon. nat. in morb. glandul. p. 98.

ciatim lunae in corpora noſtra imperium *), a claris iterum viris, ex quibus unicum b. KAEMPFIUM **) nomino, hodie defenditur. Cl. BALFOUR peculiari libello influxum lunae in febres demonſtrat. Medicus expertus & fide dignus ita ad me ſcribit: „Bis mihi nuper obſervare licuit tumorem ſcrofuloſum, ad lunae phaſes evidenter increſcentem, ita, ut in plenilunio duplo maior & ſpecioſior eſſet; idcirco contradicentium ſtrepitum floccipendendum merito dixerim. Semper tamen malignitatem indicat, ſi talis tumor lunae incrementum imitatur.“ Apud noſtrates plebeios indubiae veritatis inſtar habetur periodicum iuxta lunae mutationes incrementum tumorum cyſticorum in collo uti & labrorum ſcirrhoſorum & tumidorum. — Quantum equidem obſervavi, omnino tumores, inprimis ſaccati in collo, iuxta periodos quasdam quandoque augentur, iterumque decreſcunt; minime vero lunae phaſibus congruenter, nec in omnibus caſibus hoc fit, ſed in pauciſſimis. Notavi praeſertim in feminis fluxus menſtrui mutationibus convenienter id eveniſſe; ita ut inſtante eodem tumores maiores cernerentur, vel a morboſa cauſa obſtructis plane menſibus augerentur magis magisque. Conſtat vero hodie inter omnes, catamenia mutationum lunae ordinem minime ſervare. Etiam Cl. FAURE †) in parotide tumida periodicum quidem incrementum, ſed lunae mutationibus haud reſpondens

*) PETR. GERIKE diſſ. de influxu lunae in corpus humanum.

**) *Abhandl. von einer neuen Methode* &c. p. 565. ed. 2.

†) Prix de l'acad. de Chir. T. III. p. 31.

dens obſervavit. — Forſan ex lege periodicae indolis oeconomiae animali priva, & in plurimis tum ſani tum aegroti corporis phaenomenis obſervanda *) etiam tumorum variorum periodicas mutationes commode ſatis explicare poſſumus.

Figura gaudent ſcrofulae valde irregulari, gibberoſa, inaequali, quae eum tangenti digito peculiarem plane ſenſum inprimit, ut docente Clmo HUNCZOSVKY **) ab expertis ſolo tactu tales tumores facile a quibuscunque aliis diſtingui queant, eorundemque ſcrofuloſa indoles quaſi cum certitudine determinari. Inaequalis ille habitus tum in ſingulas glandulas conglobatas tumentes cadit, tum inprimis a pluribus earum, uti plerumque fit, coacervatis ſibique proxime accumbentibus vel ſuperimpoſitis & quaſi inhiantibus proficiſcitur. Durities mollitiesque in variis talis glandularum acervi locis diverſa ſaepe eſt, cum in uno loco calloſam quaſi duritiem, in alio fungoſam carnem, iterumque in alio collectum humorem tactu percipere tibi videaris †). Nec raro humoris effuſio, vel, ſi mavis, levis ſuppuratio, ſub integumentis communibus in celluloſis coacervatarum ſcrofularum interſtitiis contingit; ſique tunc rumpuntur integumenta, tenax, flaveſcens, lymphaticus humor effluit, cutis atenuatur, nec tamen ſuppurat, celluloſa intumeſcit

 fun-

*) CULLEN *Anfangsgründe der prakt. Arzneywiſſ.* Vol. I. p. 41. DE NEUFVILLE diſſ. de indole morborum periodica &c. Götting. 1784.

**) *Beobachtungen über die Hoſpitäler.*

†) BERTRANDI l. c.

fungoſi carnis inſtar, glandulae vero prorſus immutatae manent *).

Quaelibet ſcrofula tunica propria includitur, ſi vero plures ſibi accumbentes glandulae unicum tumorem formant, pluribus is pelliculis continetur. Omnes autem acini ſimul ſaepe includuntur tunica quadam communi, quam tela celluloſa ſtipata formavit; tuncque facilius fiunt immobiles ſcrofulae, unde intelligitur ſequens effatum: *Cyſtidis ſive pelliculae obvolventis ſignum eſt mobilitas & a circumpoſitis partibus ſeparatio, contra ſtabilitas & ad cutem carnemque adhaeſio* **).

Unica tantum glandula perraro tumet ***), (excipe ſi a topica cauſa v. g. diuturna preſſione externa glandula induruerit,) ſed malum plerumque plures ſimul adoritur, vel ab una ſtatim ad vicinas aliasque propagatur. Quod quidem ſaepe iuxta ordinem quendam procedit. Sic BORDEU †) obſervavit, una v. c. colli glandula tumefacta paullo poſt alias eiusdem quoque lateris in ala vel inguine reconditas intumeſcere, imo & viſcera & oſſa huius lateris prae reliquis primo affici. Ceterum varia ratione transferuntur de loco in locum ſcrofulae, nempe, notante WHARTONO ††) a latere ad latus, a ſuperioribus ad inferiora, externis ad interiora & viciſſim, ab articulo ad articulum vel denique modo aliquo ab his mixto.

Plures

*) IDEM ibid.

**) HUCHERUS de ſteril. diaeta & therap. pueror. p. 838. GUIDO DE CAULIACO chirurg. p. 78.

***) VOGEL praelect. de cogn. & curand. C. H. affect. p. 626.

†) Prix de l'ac. de chir. l. c. p. 127.

††) adenograph. p. 258.

Plures glandulae induratae ſaepe quaſi racemos efformant, vel catenarum inſtar cohaerent, (ſcroſulae *concatenatae*) & ſecundum vaſorum lymphaticorum tractum longe lateque diſcurrunt; id quod in collo inprimis videre licet, ubi haud raro pone auriculas ad proceſſum maſtoideum incipientes utrimque continua ſerie ad lateralia, anteriora & inferiora colli usque ad claviculam porriguntur. Quin introrſum continuatur haecce catena; deſcendit nempe ad thymum, in pectus, indeque in abdomen *). Nec interdum in aliis corporis locis concatenatus tumeſcentiarum ordo, veluti §. ſeq. dicemus, deſideratur.

Initio mobiles ſunt ſcrofulae, molles, indolentes, cuti concolores, & tales ſaepe per integrum, quin plures annos permanent, ſi ſtagnans materies haud multum ad acritatem inclinat, nec ſolida valde irritabilia ſunt; ſecus ſucceſſu temporis, & brevi quidem ſaepe ſpatio, immobiles fiunt vicinisque & ſubiacentibus partibus firmiter accreſcunt. Si cum ſuperimpoſita cute conglutinantur, plerumque ſignum eſt, mox eas inflammatum & exulceratum iri; tunc quoque dolent, colorque mutatur in rubeſcentem lividumque. Ceterum, uti iam innuimus, diſperſae fere mobiles, in acervum collectae immobiles obſervantur.

Interim non omnia ſemper incommoda deſunt, licet per ſe non doleant vel ad inflammationem propendeant tumores ſcrofuloſi. Quodſi enim numeroſa eorum ſoboles collum cingat, & paululum ſimul increverit magnitudo, ſenſum valde

---

*) SAUVAGES Noſol. method. T. III. P. II. p. 264.

valde ingratum, tenſivum, praeſertim dum caput movent & gyrant percipiendum, conqueruntur aegroti.

§. 7.

Loca, quae prae reliquis occupare ſolent ſcrofulae externae.

Iam in eo erimus, ut loca, quae occupare ſolent ſcrofulae, ſigillatim enumeremus. Ex glandulis externis oculo patentibus primo & praecipue malum irruere conſuevit lymphaticas ad latera colli, in regione cervicis, pone aures & ſub mento poſitas, axillares item & inguinales; (*bubo ſtrumoſus* SAUV.) notante iam HIPPOCRATE *) his verbis: „Quod ſi pituitoſa, copioſa ac lenta fluxio fuerit, ſic etiam inflammationem concipit, ex qua, cum humor fit ſtabilis, *ſtrumae* generantur, iique peſſimi *colli* morbi numerantur. In *alas* autem tunc quidem etiam quid confluit, verum ubi copioſi & ſeroſi humores fuerint, ad hunc modum in ipſis quoque tubercula oriuntur. Quin &, in *inguinibus* glandula ex ſuperioribus partibus humiditatem trahit; alioqui ſi magna copia fuerit, inguinum tumores, bubones dicti, fiunt, qui pus colligunt & inflammationem concipiunt, non ſecus ac alae & collum." Etiam GALENUS **) alas, inguina, collum & loca ſecus aures notat. CELSUS †) de ſtrumis tractans ait: *naſcuntur maxime in cervice, ſed etiam in alis, in*

*) L. de glandulis.

**) Meth. medend. L. XIII. cap. 5.

†) L. V. cap. 28. §. 7.

in inguinibus & in lateribus, in mammis quoque feminarum ſe reperiſſe, chirurgicus Meges auctor eſt. Idem fere refert AETIUS *). PAULUS AEGINETA **) & ACTUARIUS collum quoque, axillas & inguina nominant; praeterea vero etiam occurrere poſt aures, in mammis & articulorum flexuris.

Ex paucis hiſce teſtimoniis apparet, veteres iam multa cognoviſſe loca, ubi ſcrofulae ſe oſtendere ſolent. At recentiorum medicorum monumenta & hodierna ſat frequens experientia docent, longe plures, quin omnes quandoque corporis partes iis quandoque infeſtari. AMATUS LUSITANUS ***) puellam narrat, ſtrumis ſ. ſcrofulis ſucceſſive in collo, alis, circa tempora, in ſyncipite & in pectoris alta parte infeſtatam, ita ut prioribus vel ſponte reſolutis vel ope remediorum diſcuſſis vel denique ſuppuratione ſublatis ſenſim renaſcerentur poſteriores, donec integrae ſanitati reſtitueretur puella. — Ruſticus in collo, ſub utraque maxilla, in pectore & circa ipſam virilitatem ingentes ſtrumas oſtendit †). HüNERWOLF ††) plures vidit ſtrumas in brachiis adulti ab humero usque ad carpum tendentes, ſalvis flexuris, magnitudine ovorum gallinaceorum, molles, indolentes, mobiles, nullo geſtantis incommodo. — Quin interdum a digitis ad dorſum manus, antibrachium humerique internum latus pro-

*) Tetrabibl. IV. Sect. 3. cap. 5.
**) L. VI. cap. 35.
***) Curat. medic. Cent. III. curat. 54.
†) M. N. C. Dec. II. ann. 4. app. p. 95.
††) Ibid. ann. 5. obſ. 21.

progrediuntur tumeſcentiae; ſimilique ratione in extremitatum inferiorum digitis incipiunt, transſcendunt malleolos, ad genu pergunt, indeque ad femoris internum latus in inguina usque porriguntur *). Scrofulas ab inguinibus per totum lumbum decurrentes commemorat BIERCHéN **). Quandoque & ab axillis ad mammas usque tendit glandularum lymphaticarum induratarum catena. Neque minus ſub cute in pectore ac dorſo ſcrofuloſi tumores reperti ***), inque viro cachectico, cui viſcera imi ventris obſtructa, in toto pectoris & abdominis ambitu, numeroſa tubercula piſi magnitudine in tela celluloſa fluctuantia vidit TOETTELMANN †).

Nec raro, obſervante Clmo WHITE ††) glandulae lymphaticae dorſi profundius iacentes, uti & femoris ſuperiores atque inguinales, non ſine periculo a vitio ſcrofuloſo tanguntur, occaſionem ſubminiſtrante vi externa, vaſa harum partium lymphatica diſtendente, vel adeo lacerante, contundente, inflammante. Caſus talis vera indoles difficulter ſaepe cognoſcitur, cum vaga puerorum narratio plerumque non ſatisfaciat. Conqueruntur utplurimum dolores in & circa articulum femoris, dein in genu, in dorſo & inguine. Vehementes ſaepe ſunt dolores, noctu inprimis, interdumque horror & ſubſequens calor ingruunt. Viſus

---

*) WHITE *über Scropheln und Kröpfe.* p. 38.
**) l. c. p. 41.
***) PLATER. Obſs. L. III. p. 675. Cf. CAROL. PATINUS in M. N. C. Dec. II. ann. 6. obſ. 35.
†) Diſſ. de ſcroful. p. 3. not. i.
††) l. c. p. 41. ſq.

Viſus primo deteget aliquod femoris ſuperioris incrementum, quod optime apparebit, ſi infante prona facie decumbente comparantur inter ſe nates; ſaepe quondam hac periodo malum noſtrum pro coxae luxatione habuerunt. Totum membrum debile eſt, brevique laxum fit & marceſcit. Augeſcente tumore etiam fluctuatio tangitur. Cutis tenſa videtur ſplendetque, non tamen inflammata eſt, nec multus dolor oritur, ſi tumorem absque motu membri digito exploraveris. Lente iam tumor increſcit per integrum quin duos annos, & genu adeo transſcendit, cutis tenuiſſima fit valdeque ſenſilis tandemque (pluribus ſaepe locis) rumpitur, effluitque utplurimum ſeroſus vel ſero lactis ſimilis humor, cui innatant caſeoſa concrementa. Saepe tamen & magna puris quantitas intermixta eſt. Copioſior effluxus perdurat aegerque exhauſtus tandem perit. — Difficilius longe adhuc detegitur ſedes morbi in inferiori dorſo *). Diu nil conſpicitur vel tangitur, conqueritur tamen aeger dolores interdum exacerbantes, qui, ſi corpus antrorſum flectitur, augeſcunt. Ita quoque comparatum eſt, ſi morbi ſedes in inguine **); tunc aeger corpus ad latus flectit, quo dolores, qui erecto ſitu a preſſione muſculorum producuntur, evitet. Cum malum diuturnum ſit, ſenſim conformatio corporis depravatur; ad latus nempe incurvatur corpus infantis. — Externe primum apparet tumeſcentia magna, diffuſa, absque dolore aut cutis decoloratione, usque dum haec tandem attenuata rubeſcat & digitis tacta

---

*) l. c. p. 43.
**) l. c. p. 44.

tacta doleat. Symptomata ceterum, contentus humor & tandem febris ſymptomatica in tribus hiſce caſibus eadem ſunt.

Subiungere adhuc placet aliquot exempla ſcrofularum omnes fere corporis partes ſimul obſidentium, licet talia frequenter ſatis occurrant. PRüCKELIUS *) in lanione tantam ſcrofularum deprehendit copiam, ut nulla propemodum pars ab illis fuerit immunis. BARBETTE **) aperto virginis cadavere, quae pluribus ſcrofulis in vita vexata fuerat, reperit mille ultra glandulas maiores minoresve a faucibus ad os pubis usque, quae eiusdem fuere coloris, flavi ſcilicet, cum apertis in collo ſcrofulis. Strumas toto corpore diſperſas commemorat PECHLINUS ***). Sic etiam DE HAEN †) in cadavere ſcrofuloſi pueri per totum fere corpus diſperſos reperit tumores ſcrofuloſos; nempe in collo, inguinibus, ad vaſa iliaca, ad pericardium, ſternum, diaphragma, ſupra aſperam arteriam ad iugulum, ad axillas — ubique occurrebant tumores. KLINKOSCH ††) de viro narrat, cuius univerſum fere corpus praeter alia vitia tumores tum cyſtici, tum glandularum conglobatarum aliarumque, etiam internis, uti cadaveris docebat ſectio, non exceptis, deturpabant.

Neque

*) M. N. C. Dec. I. ann. 9 & 10. Obſ. 8. p. 45.
**) Prax. med. L. II. Cap. 2.
***) Obſervat. p. 481. ſq.
†) Rat. medend. P. II. cap. XI. p. 149 ſq. ed 2.
††) Obſ. de ſenſilitate tendinis & raro cutis morbo; recuſ. in ei. diſſ. ſelectior. Pragenſ. Vol. I. no. 20.

Neque hoc loco reticendum, quod, quando ſyſtema lymphaticum labem ſcrofuloſam concepit, non conglobatae ſolum glandulae nodorum forma ſe oſtendant, ſed ipſa & vaſa lymphatica in morbi initio chordarum inſtar tumeſcant *). „Quin & in propriis vaſis, ait TOETTELMANN **): lympha ſtagnante, tunicasque, quibus continetur, diducente, tumores, eodem quo in vaſis ſanguiferis modo varicoſi tumores generantur, oriri queunt, quo ſtructura vaſorum lymphaticorum valvuloſa multum omnino confert;“ confirmante id obſervatione PORTALII, qui ductum thoracicum ac vaſa chyloſa infarcta vidit †).

§. 8.

De ſcrofulis meſenterii aliisque internis.

Ex praecipuis ſcrofularum internarum ſedibus meſenterium eſt, conglobatarum ſ. lymphaticarum glandularum inſigni ſcatens multitudine. Quod quidem antiquis iam cognitum fuiſſe, ex IULIO POLLUCE apparet, qui *Tumores quoque*, inquit, *intra carnem & adipem vel omentum ſubſiſtunt, maxime circa bubones, axillas, & maxillas & meſenterium, circa quae chorades & ſcrofulae conſiſtunt* ††). Ceterum apud Auctores ubivis obvia ſunt exem-

*) Cl. SOEMMERING pr. de congnit. ſubtilior. ſyſtem. lymph. in med. uſu. Caſſellis. 1779.

**) diſſ. cit. p. 3.

†) LIEUTAUD Hiſt. anat. med. P. II. obſ. 772 & 771. p. 93.

††) apud LANGIUM epiſt. med. I. 43.

exempla, glandulas meſenterii in ſcrofuloſis tumidas fuiſſe repertas. Ultra ſeptuaginta glandulas induratas in meſenterio totidemque fere in inteſtinis craſſis reperit INGRASSIAS *). PARAEUS **) affirmat, quod in cadaveribus illorum, qui ſcrofulis laboraverant, invenerit glandulas meſenterii tumidas variae magnitudinis, ſic ut quaedam pugnum ***) aequarent. DOLAEUS †) filiam narrat mercatoris cuiusdam mortuam, cuius non tantum glandulas in collo, ſed totum quoque brachium cum ſcapulis ſcrofuloſum deprehendit, in cuius meſenterio aperto cadavere plures quam mille glandulas parvas & tumidas obſervavit. HALLERUS ††) glandulas conglobatas meſenterii, ad aortam, ad arterias iliacas, in inguine, alias tumefactas ſcirrhoſasque ſaepe obſervavit. Frequentiſſime glandularum meſenterii tumores & indurationes in lapideam quidem non raro duritiem & ad nucis moſchatae magnitudinem occurrere in cadaveribus, teſtatur KAEMPF †††) & ſ. p. Quid, quod quam plurimi Auctores ſtatuant, in iis, quibus colli induruere glandulae, ſemper quoque meſentericas affectas eſſe, & a ſcrofularum externarum multitudine ad internarum frequentiam

---

*) Tract. de tumoribus. Neap. 1552. p. 223. cf. LIEUTAUD l. c. P. I. obſ. 546.

**) Livre VII. Chap. 21. p. 175.

***) Hae certe tumores cyſtici fuerunt, (qui, uti poſtea dicemus, & in ſcrofuloſorum viſceribus frequenter occurrunt,) cum glandulae conglobatae in tantam magnitudinem vix evehantur.

†) Encyclop chirurg. p. 606.

††) Opuſcul patholog. obſ. 45. p. 122.

†††) l. c. p. 69.

tiam iuſtam valere concluſionem. Iam ARNOLDUS DE VILLANOVA *) dixit; ſcrofularum extrinſecarum multitudinem clamitare earum pluralitatem intrinſecam. Simile quid innuit CHALMETAEUS **). RIVERIUS ***) ait: in ſtrumis laborantibus utplurimum meſenterium glandulis refertum eſſe, venas lacteas comprimentibus, chyli ad ſanguinem tranſitum impedientibus, maciem hinc corpori inducentibus. HUCHERUS ****) *ſtrumae externae*, inquit, *locoque mutabiles, ſi plures ſint, internarum ſoboles ſunt, ideoque incurabiles per externa topica.* RIOLANUS †) ubi externe, exiſtimat, ſcrofulae ſint, ibi quoque interne meſenterium iisdem obſeſſum eſſe. Ita quoque ſentit *C. Patinus* ††), idque ex multiplici cadaverum ſectione compertum ſe habere ait. Neque repugnat ETTMüLLER †††) dicens: „Iidemdemque (colli tumores ſtrumoſi) vix comparent, niſi praeexiſtentibus ſimilibus in meſenterio, in quo caſu ad tabem univerſalem ducunt;“ neque DOLAEUS ††††) inquiens: „quotquot aperui, eorum meſenterium ſtrumoſum inveni; — proinde certum eſt, glandulas meſenterii plerumque affectas ac ſtrumoſas eſſe in illis, qui a ſcrofulis vexantur; — illas enim ſemper iuſto maiores

 ac

---

*) apud GUIDON. DE CAUL. l. c. p. 78.
**) enchirid. chir. cap. 13
***) Opp. omn. p. m. 260 & 342.
****) l. c. p. 838.
†) Antropograph. L. II. Cap. 15.
††) l. c.
†††) Comment. Ludovic. p. 560.
††††) l. c.

ac duriores inveni, quam alias eſſe ſolent.“ MAIERNE *) ait: *Strumarum ſtolones, licet ſub cute praeſertim circa adenes erumpant, attamen altas habent in viſceribus radices, praeſertim in glandulis meſenterii, quae in plerisque, ne dicam omnibus, hoc genus morbi patientibus, tumidae, inaequales, durae apparent, eiusdem plane materiae cum ea, quae in mobilibus ſcrofulis novacula diviſis conſpicitur.* Confirmat idem RUSSELL **) dicens: *In illis enim, quos a glandulis externis pus emittentibus confectos tabe vidi, quorumque corpora mihi poſt mortem inſpicere contigit, non quidem ullos animadverti, quibus meſenterii glandulae integrae remanſerint* &c. & alibi ***): *Glandulae cervicis concatenatae, quae uno quaſi vinculo ab auribus claviculas usque continuantur, fere pro ratione longitudinis vaſorum colli dependent; quas ubi tumefactas cum tonſillis plus aequo largis videris, tum internas etiam meſenterii pulmonisque glandulas recenti fluxione affectas eſſe ſuſpicandum eſt.* Si in exterioribus tumores ſtrumoſi per ſe orti ſint, tunc etiam in meſenterio, pancreate, inteſtinis vel utero quoque apparere tales, priora potiſſimum in infantibus, KLEIN †). SWIETENIUS ††) frequentiſſimis obſervationibus evictum eſſe, innuit, in ſtrumoſis ſimiles tumores in viſceribus deprehendi. CLIFTON WINTRINGHAM †††) *cum ſtrumae*, inquit, *oriantur ſub maxillis, plerumque*

---

*) vid. BARBETTE Chirurg. c. not. IO. MUYS, Amſtelod. 1693. p. 165.

**) de tabe glandulari p. 15.

***) l. c. p. 24

†) Interpr. clin.

††) Commentar. T. IV. p. 61.

†††) de morbis quibusdam Commentar. p. 57.

que glandulas meſenterii, hepatis & pancreatis temporis progreſſu ſimiliter affectas eſſe, expertus novi.

Sufficiant haec teſtimonia ad frequentiam ſcrofularum meſenterii confirmandam. Illud tamen aſſertum, ubi in collo externe apparent glandulae induratae, ibi quoque meſenterium ſemper illis obſeſſum eſſe, quin nunquam externe ſcrofulas generari, niſi meſenterio prius affecto, veritati non omnino conforme eſt; ſuoque iam tempore illud reſtrinxit KüCHLERUS *). Abdomen in ſcrofuloſis plerumque tumidum meſenterium infarctum quoque eſſe, ſatis arguit. Multi vero aegroti nullam notabilem imi ventris tumeſcentiam prae ſe ferunt; nec deteguntur curatiori exploratione inſtituta **) nodoſae in abdomine inaequalitates; manifeſto indicio non in omnibus meſenterii glandulas eſſe affectas. Multi praeterea ſcrofuloſi abſque atrophia, perpetuo fere pertinacis meſenterii obſtructionis comite ad ſenium usque vivunt. Id quidem certum eſt, ſi ad magnum gradum provectus fuerit morbus ſcrofuloſus, ita quidem plane, ut lethalis ex ſuccedente atrophia evadat & cadavera luſtrari poſſint, ſemper turgidas & obſtructas repertum iri meſenterii glandulas. Videntur praeterea in infantibus,

 qui

*) Diſſ. de glandul. pueror. colli tumefactis. vid. HEISTER. chir.

**) Latere in meſenterio obſtructiones & tumores, nodoſis inaequalitatibus optime cognoſcitur, ita detegendis, ut, dum aegrotus ieiuno adhuc ventriculo ſupinus decumbit, ſitumque interdum mutat, utraque manu varias abdominis regiones accurate examinemus. (Cl. ISENFLAMM *prakt. Anmerk. über die Eingeweide.*)

qui quintum ſextumve annum nondum attigerunt, meſenterii glandulae infarctibus magis obnoxiae eſſe, quam aliae ad lymphaticum ſyſtema pertinentes. Paulo autem adoleſcentiori aetate abdominis viſcera maiori vi expulſiva inſtruuntur, diuque tunc colli glandulae affectae eſſe poſſunt, antequam malum meſentericas corripiat. Aliam quoque haud obſcuram rationem deprehenderim, cur priores illae, (poſt quintum ſaltem ſextumve annum) facilius priusque utplurimum infarciantur hiſce poſterioribus. Quippe in perpetua ſuccuſſione, quae ab actione diaphragmatis & muſculorum abdominalium in reſpiratione perficienda pendet, conſtituta ſunt abdominis viſcera. Perpetuum quaſi prelum in illa agit, & ne tam facile obſtruantur, egregie praecavet. Accedit, quod caloris in imo ventre gradus, praeſertim tempore digeſtionis longe maior ſit, quam in externis partibus. Facile hinc apparet, tenacia multa atque viſcida cum lympha transmigrare poſſe meſenterii glandulas absque ſubſequente obſtructione, cum e contra ſpiſſa & ad coagulum prona lympha, ſi ad exteriores, praecipue colli, glandulas pervenerit, quae in ſuperficie corporis & in loco poſitae ſunt, ubi adiumenta externa motus humoris lymphatici pauciora longe minusque efficacia habentur, haereat ſubſiſtatque, glandulasque reddat tumentes & obſtructas. Quando vero cauſae morbi increſcunt, tunc meſenterii quoque glandulae multis licet contra infarctus praeſidiis inſtructae non poſſunt reſiſtere. — Praeterea, ſi a repreſſa capitis ſcabie, tinea vel lactea cruſta glandulae tumefiant, malum in colli glandulis tantum non ſemper primo ſe oſtendit & auctum demum meſenterium quoque corripit. Forſan &, uti qui-

quidam autumant, impulſus humorum verſus caput in iunioribus intenſior aliquid confert ad tenaces viſcidosque humores in ſuperiorum partium glandulis coacervandos easque hinc tumidas reddendas. Ita Dn. BORDEU *) innuit, infantes, cum in iis ſanguis maximam partem ſuccorum excrementitiorum ad caput vehat, morbis eapropter capitis, faciei ac colli valde obnoxios eſſe.

Ex iam propoſitis apparet, non plane reiiciendam eſſe diſtinctionem, quam inter eas ſcrofulas, quae ſolum collum, easque, quae alias etiam corporis partes occupant magisque univerſales ſunt, facit BALL **); gradum ſaltem morbi indicat. Elucet quoque, non adeo ineptam eſſe antiquam opinionem †), in collo facilius, quam in aliis partibus, indurationes glandularum idcirco contingere, quoniam illud aeri frigido ſit expoſitum materiam hanc mucoſam viſcidamque citius compingenti; licet hoc & exinde erronee deducerent veteres, quia capiti collum vicinum ſit, a quo, tanquam pituitae maxime feraci ſaepe materia communicetur. — Patet denique, illos inprimis ex ſupra nominatis Auctoribus taxandos eſſe, qui non ſolum comitari ſemper obſtructas colli glandulas ſimile in meſenterii glandulis vitium affirmant, ſed inſuper praeexiſtere ubivis glandularum meſenterii infarctum contendunt. Nimius tamen ab altera parte eſt DIEMERBROEKIUS ††), dum

*) Prix de l'ac. de chir. T. 3.
**) New Practice of phyſic. T. 2. cap. de ſcrof.
†) l. c. p. 608. §. 4.
††) Anatom. p. m. 59.

dum aſſerit, ſtrumas nullam habere affinitatem cum glandulis meſenterii, neque etiam ſtrumas foras erumpentes ullo modo cauſam vel originem in meſenterio habere poſſe, imo quotidianum uſum docere, pleroſque ſtrumoſos reliquo corpore ſanos exiſtere nec de ullo inferioris ventris incommodo conqueri, cum tamen morbi meſenterii magnas moleſtias inferre ſoleant, ipſam quoque curationem contrarium docere, utpote quae ſaepe topicis peragatur, quae non prodeſſent, ſi fons mali in meſenterio lateret, denique in ſtrumoſorum mortuorum diſſectionibus id manifeſtum eſſe, utpote in quibus plerumque meſenterium ſatis ſanum reperiatur — Quae quidem omnia ſigillatim refutare, hodie vix neceſſe eſſe puto. Sufficiat notaſſe, quod DIEMERBROEKIUS ſtrumas iuguli topicas cum veris ſcrofulis manifeſte confuderit.

Ceterum glandulae meſenterii tumidae colore ſunt externe flavo rubicundo, coeruleo vel livido & nigricante; interne vario, inprimis cinereo. Praeter glandulas conglobatas tumefactas omnis quoque generis multiplicisque ſubſtantiae tumores cyſtici in ſcrofuloſorum meſenterio occurrunt, qui in immenſum ſaepe creſcunt. Sic apud TULPIUM *) exemplum legimus tumoris glanduloſi in meſenterio 18 libras pendentis.

Neque exceptae ſunt glandulae omentales **). In omento aliisque viſceribus iuvenis repertae ſtrumae, cuius & gula & aſpera arteria iisdem obſitae

*) L. 2. cap. 32.
**) M. N. C. Dec. I. ann. 4. obſ. 3.

tae erant *). HEURNIUS **) refert caſum puellae, diu ſtrumis multis ac magnis in colli ambitu ſubque axilla ſiniſtra laborantis, cuius omentum innumeris ſtrumis defoedabatur. GEGERO ***) omentum multis millenis glandularum farctum viſum. — Ventriculi ****) etiam, oeſophagi *****) atque inteſtinorum †) glandulae indurantur. Generatim glandulae inteſtinorum inſtar granorum ſabuli durae non raro reperiuntur in ſcrofuloſis & atrophicis; uti & totum pancreas ſcirrhoſum & lapideum quaſi ††).

Quin omnia viſcera glandulis conglobatis aliisve inſtructa vel glandulis ſaltem ſtructura ſimilia ſcrofuloſo vitio patent. — Sic in hepatis inprimis ſuperficie concava totoque liene ſcrofuloſa tubercula reperta †††). Difficulter vero utplurimum, docente WHITE ††††), determinatur, an morbus ſcrofuloſus in hepate aut liene ſedem habeat, inprimis, ſi has partes *primo* loco invaſerit. Utriusque viſceris volumen naturali plerumque maius eſt & aeger absque conſpicua cauſa contabeſcit. Senſum interdum in hepatis regione habet moleſtum ponderis vel doloris. Secretio bilis

 ple-

---

*) BONETI Sepulchret. anat. L. II. Sect. I. obſ. 136.

**) vid. LIEUTAUD l. c. obſ. 1576.

***) ap. SAUVAG. Noſol. meth. III. P. II. p. 311.

****) M. N. C. Dec III. ann. 6. obſ. 175. p. 401. RONCALLI Hiſt. morb. Brix. 1741. p. 171.

*****) DEASE Practice of Surgery. Vol. I.

†) INGRASSIAS l. c.

††) I. I. MEIER in M. N. C. Dec. II. ann. 6. obſ. 31. HOFMANN diſſ. de morbis pancreatis.

†††) G. M. GALLO dell' uſo del latte. T. II. p. 91.

††††) l. c. p. 36.

plerumque illibata, hepataque vidit WHITE *) valde vitiata, licet iuſta fellis in veſicula quantitas reperiretur. — Nec renibus parcit malum. — Frequentiſſimam vero ſedem conſtituunt glandulae lymphaticae pulmonum, nec raro bronchiales afficiuntur. Hinc phthiſis ſcrofuloſa, de qua in tertia libri parte ubertim exponemus, ortum ducit. — Ipſa utriusque ſexus genitalia a ſcrofuloſo vitio multis afficiuntur modis. Uterum, lymphaticis vaſis exundantem a materia ſcrofuloſa irrui poſſe, licet non glanduloſa ſit eius fabrica, unde tumor, durities, ſcirrhus, excreſcentiae, BOSE **). Id in feminis inprimis, iuventute ſcrofuloſis, poſt ceſſationem menſtruorum uſu venire, alibi dicetur. Gonorrhoeam ſcirrhoſam & ſcrofuloſam invadere potiſſimum ſexum ſequiorem, eſſe plerumque ſine ulcere vel hoc tarde generari, in mulieribus tempore inter menſtrua intermedio adeſſe, in virginibus interdum menſtruorum eruptionem antecedere, in annoſis poſt ceſſationem remanere, legimus ***). Et in virili ſexu ab induratione teſticulorum & glandularum urethrae in primis proſtatae oriri poſſe gonorrhoeam ſcirrhoſam & ſcrofuloſam †). Teſticulorum vero tumores a ſcrofulis interdum natales ducere, confirmat I. HUNTER ††), horumque progreſſum lentum eſſe ait, eſſeque iis omnino diſſimiles, qui ab irritamento

in

*) ibidem.

**) Pr. de ſcrophulis uteri ſterilitatis feminarum cauſa. Lipſ. 1787.

***) Cl. HECKER *Abhandl. über den Tripper* p. 51.

†) ibid. p. 54.

††) *Abh. über die veneriſche Krankheit* p. 96.

in urethra proveniunt. Scrofulas etiam teſticulos haud raro corripere, docet WHITE *), inprimis in iuvenibus 14-18 annorum; idem tamen & in ſenioribus fieri, exulante omni ſyphilidis ſuſpicione, licet, fortaſſe ii, quorum teſticuli antea a venereo morbo aliisve cauſis male mulctati fuere, huic affectui prae aliis pateant. — Quin parvae lymphaticae glandulae ipſo membro virili ineſſe videntur, quae in ſtatu morboſo tumeſcunt, atque viſibiles evadunt **).

Neque encephalum immune eſſe, quorundam ſententia eſt. Sunt enim, qui cerebri ſtatum ſtrumoſum ut cauſam morborum nervoſorum praecipue epilepſiae accuſant †). Utique frequenter ſatis obvia ſunt exempla ſtatus ſcirrhoſi in cerebro, neque dubium eſt, talem interdum epilepſiae cauſam conſtituere. Licet vero lubenter largiar, cerebri ſcirrhum & ex ſcrofuloſa cauſa oriri poſſe, rarius tamen id obtinere opinor, cum obſervationes docuerint, toto reliquo corpore ſcrofuloſis tumoribus atque indurationibus obſeſſo, encephalum ab his malis plane fuiſſe immune. Sic erat v. c. in exemplo ab HAENIO deſcripto. (§. pr.) Rarius vero ſtatum ſcirrhoſum, ſed plerumque *ſtrumoſum* (intelligit ſine dubio leviorem indurationem a cauſa ſcrofuloſa,) in epilepticorum encephalo occurrere ſentit RUSSELL, quare morbus ſponte fere ſaepiſſime ſanetur, corpore puber-

---

*) l. c. p. 40. 41.

**) HUNTER l. c. p. 439. *Anmerk. des Ueberſ.*

†) v. c. RUSSELL oecon. nat. p. 97. FAURE in Prix de l'ac. de ch. T. III. p. 38. GOURSAUD ibid. p. 291.

pubertatis tempore magis firmato. Sed plerumque, docente VAN SWIETEN *) epilepſia hereditaria ſeſe prodit pubertate ingruente, cum e contra in hoc vitae ſtadio ſcrofulae utplurimum evaneſcant. — Neque ſuppetit ſufficiens numerus ſectionum ſcrofuloſorum cadaverum, quae encephalum quoque curate inquiſiverint; proinde, an illud a ſcrofuloſo vitio ſaepe afficiatur, determinari nequit. Id interim evictum fere videtur, cerebrum lymphaticis glandulis prorſus carere, niſi forſan corpuſcula illa, quae glandulae Pacchioni dicuntur, plexusque choroidei glandulas huc trahere velis. Licet enim pauca vaſorum lymphaticorum veſtigia in cerebro detexerit recentiorum quorundam anatomicorum induſtria, ab horum tamen praeſentia ad glandularum conglobatarum conſortium iuſta non valet concluſio.

§. 9.

Virus ſcrofuloſum non lymphaticis ſolum, ſed omnis generis glandulis aliisque etiam partibus infeſtum eſſe.

Ex hucusque iam adductis exemplis, (§. 7. 8.) quibus facile plura iungi potuiſſent, ſatis patet, vix ullam exiſtere corporis partem, ubi non fuerint aliquando obſervatae ſcrofulae & ſcrofuloſi tumores. Quin in locis quandoque occurrunt, ubi in ſtatu ſano glandulae vix apparent. Quod cum animadverterent veterum quidam, ad eam ſe adduci patiebantur opinionem, novas ex cauſa mor-

*) Commentar, T. III. ad aph. 1075. no. 1.

morboſa glandulas generari poſſe *). Haec vero ſententia merito dudum exploſa, cum haud obſcurae rationes exiſtant, cur ſcrofuloſi tumores per univerſum corpus occurrant. Non enim totius ſyſtematis lymphatici glandulae ſolum, ſed conglomeratae quoque, item cryptae mucoſae adipoſique folliculi, aliaeque partes ſedem iis praebent.

Quod ad ſyſtema lymphaticum attinet, poſtquam illius hiſtoria induſtria recentiorum inciſorum, HUNTERI, HEWSONI, MONROI, SHELDONI, CRUIKSHANKII, WERNERI & FELLERI, HAASII, PAOLO MASCAGNI aliorumque plurium accuratius evoluta & ad liquidum perducta eſt, multa in morbis ſcrofuloſis obvia phaenomena, quorum ratio antiquos latebat, nobis explicatu facilia ſunt. Conſtat vero, ſyſtema illud per totum corpus longe lateque diffundi; porro, ubi lymphatica vaſa ſunt, ibi quoque in plerisque locis interpoſitas eſſe conglobatas glandulas, licet hae in quibusdam partibus corporis maiores, in aliis minores, in aliis demum valde exiguae & vix niſi in ſtatu morboſo conſpicuae ſint Hinc per totum fere ſyſtema lymphaticum, ſi illud labe ſcrofuloſa laborat, glandularum generari poſſe tumores, in propatulo eſt. — Et ſyſtema quidem lymphaticum primariam morbi noſtri ſedem conſtituit, virusque ſcrofuloſum tantum non ſemper primos decubitus facit in glandulas conglobatas ſive

*) LAURENTIUS de mira ſtrumarum curat. Par. 1609. L. II. cap. 4. p. 225. cf. AETIUM l. c. SEVERINUM de reſond. abſceſſ. natur. L. IV. cap. 5. BELLINUM de urinis & pulſibus. &c.

ſive lymphaticas. Minime vero ad haſce ſolas adſtringuntur ſcrofuloſi tumores, prout inepte aſſerit Cl. DIEL *), ſed ſi invaluerit malum, penitusque inſederit, alius quoque generis glandulae, quin etiam partes non glanduloſae ab eodem afficiuntur. Duplicem χοιράδων claſſem iam notavit GALENUS **), alteram in *glandulis, quae, quod in medio vaſorum in diverſas partes diductorum habetur, implent, eiusque diductionis pro firmamento ſunt*, (hic certe intelligit glandulas conglobatas recentiorum, praecipue colli) quarumque haud magnum uſum animantibus eſſe ſubiungit; alteram vero in iis glandulis, *quae vel ſalivam vel lac vel genitale ſemen, ad haec, quae pituitoſum quendam humorem in meſenterio vel faucibus vel larynge generant;* quarumque maiorem uſum eſſe innuit, hinc ſcrofulas in iis ſedem habentes maioris quoque momenti eſſe.

Non inter conglobatas ſolum glandulas, vaſorum lymphaticorum tractu per totum corpus proxime inter ſe coniunctas, is nexus datur eaque conſpiratio, ut quibusdam earum morboſe affectis, idem malum in alias quoque, quin omnes ocyus ſerius tranſeat; ſed inter lymphaticas etiam & conglomeratas, quin inter univerſum ſyſtema glanduloſum ſimile commercium obtinere, multis exemplis confirmatur. Parotidum tumores vix non ſemper incipere a glandula conglobata illa, quae parotidi glandulae inſidet, notat Cl. KRAU-

*) Append. ad WHITII libr. cit. a ſe germ. verſum p. 99.

**) Meth. med. L. XIV. cap. XI.

KRAUSE *). Mammis ſcirrho affectis, saepius etiam ingraveſcente malo glandulas axillares ad lymphaticarum claſſem pertinentes in communionem trahi, quis eſt, qui neſciat? quin ipſas Meibomii glandulas ſebaceas in palpebris non raro una affici, ex b. SCHMUCKERI **) obſſ. conſtat & ſ. p — Scrofuloſae praeterea acrimoniae, quae per totum corpus diffuſa ubivis in contextum celluloſum una cum humore rorido exhalare, deinque a reſorbentibus vaſis in ſyſtema lymphaticum deferri videtur, peculiarem cum omni, quod glanduloſum eſt, amicitiam eſſe dixeris.

Glandulas ſalivales, parotides nempe, maxillares, alias, in ſcrofuloſis tumidas, obſtructas, induratas eſſe, rarum profecto non eſt; fere ſemper tamen malum tunc diu iam inhaeſit & ad magnum provectum eſt gradum. Dum mammas feminarum quandoque occupare ſcrofulas ſtrumasque apud priſcos & recentiores legimus Auctores †), variam nobis ideam formare debemus. Interdum ſubintelligunt quoscunque ſcirrhoſos mammarum nodos, quos hodie nemo ad ſcrofuloſos retulerit, uti forſan MEGES apud CELSUM ††) aliique antiquiores; quin b. TEICHMEYERUS †††) omnes in mammis nodos ſcirrhos-

*) in PLATTNERI inſtit. chir. a ſe edit. p. 50. not.

**) *Chir. Wahrnehm.* II p. 121.

†) SCHELLHAMMER in M. N. C. Dec. III. ann. 9 & 10. p. 153. cf. M. A. SEVERINUS de nov. obſ. abſceſſ. cap. V & IX. §. 10. it. van GESSCHER over de voornaamſte langduurige Gezwellen p. 24.

††) l. c.

†††) inſtit. pathol. & pract. p. 382.

rhosque ſtrumas quoque & ſcrofulas nominat. Alias de indurationibus mammarum ex cauſa ſcrofuloſa ſermo eſt; nam & mammas hocce vitium quandoque irruit, occaſionem ſuppeditante refrigerio, tempore incipientis vel ceſſantis menſtruationis, lactis incauta ſuppreſſione &c; pertinent huc quoque inprimis ſcirrhi illi ſcrofuloſi, de quibus BIERCHéN multa diſſeruit, infra notanda. Nonnunquam & in ſubſtantia adipoſa mammarum muliebrium, etiam ſcrofuloſarum, fluctuantes tangimus parvos mobiliſſimos nodulos, conglobatis tumentibus ſimiles, qui forſan in parvis glandulis ſic dictis mammariis ab anatomicis quibusdam notatis ſedem habent. Adeunt praeterea mammas vaſorum lymphaticorum faſciculi ſpectabiles, id quod in graviditate egregie apparet; dum nempe quarto iam vel quinto menſo diſtincte tangitur faſciculus vaſorum lymphaticorum a mammis porrectus & ad axillas tendens, quod tanquam ſignum graviditatis praecipuum conſiderat, probeque auditores ſuos attendere iubet cel. Gottingenſium profeſſor WRISBERGIUS. Forſan hinc exiguae quaedam glandulae ad haec lymphatica verſa pertinentes tumendo mammarum quoque ſcrofulas referunt. Nec denique reticendum, quod veteres interdum quoque partem glandulae conglomeratae v. c. mammae induratam, quae digito prehenſa huc illucque adhuc diſtrahi poſſit, ſtrumae nomine inſigniverint *).

Glan-

---

*) SEVERINUS l. c. KAPP diſſ. de exſtirpat. tumorum in mamma. Lipſ. 1768. p. 7. not. h.

Glandulam thymum ſaepius ſe affectam deprehendiſſe, teſtatur HALLERUS *); etiam F. HOFFMANN **) commemorat glandulam thymum tumefactam induratam & caſeoſa ſubſtantia refertam in iuvene phthiſi ſcrofuloſa extincto repertam. Tonſillae ſcrofuloſo humore turgent ſaepiſſime; nec plane excepta eſt glandula thyroidea. (§. 3.) Glandulae folliculoſae & folliculi mucoſi & adipoſi ubivis per totum corpus diſperſi materia ſcrofuloſa praeprimis quoque obrui ſolent. Sic glandulas bronchiales item per totum primarum viarum tractum diſſeminatas duras tumidasque fuiſſe repertas, § pr. diximus. Praecipue vero tales folliculi ſedem conſtituunt tumorum cyſticorum varii generis, ſcrofuloſis adeo familiarium, & a permultis auctoribus cum glandularum lymphaticarum tumeſcentiis confuſorum, ab aliis vero *ſcrofularum ſaccatarum* nomine inſignitorum. Idem tumorum cyſticorum frequens in ſcrofuloſis proventus anſam praebuit errori antiquorum, cuiuscunque originis & indolis ſaccatas tumeſcentias cum ſtrumis ſcrofulisque confundentium (cf. §. 3.) Alia glandularum partiumque glanduloſarum a lymphaticis glandulis prorſus diſcrepantium & nihilo minus ſcrofuloſo vitio patentium exempla §. pr. iam retuli.

In ipſis articulorum capſulis & ligamentis, in oſſibus horumque praecipue extremitatibus, in perioſteo atque tendinibus tumeſcentiae ſaepe reperiuntur, quae pro partium dictarum diverſitate topho-

*) l. c.

**) Conſult. & reſp. med. T. I. p. 350.

tophorum exoſtoſium nodorum vel gangliorum nominibus inſigniuntur. Quarum quidem licet variae eſſe poſſint cauſae, non raro tamen & ex ſcrofuloſa cachexia eaedem promanant; id quod ex ſignis ſcrofuloſi vitii poſtea tradendis cognoſcendum erit *). Vidi nuper iuvenem 18 annorum ulceribus ſcrofuloſis in variis corporis locis laborantem, cuius coſtis inſidebant tubercula ganglii perfecte ſimilia, quae & paſſim iam in ulcera tranſierant. Etiam in altiſſimo ſterni loco talis haeſerat nodus in ulcus latum nunc commutatus.

Inprimis infeſtus eſt morbus articulis, digitorum ſcil. carpi, cubiti, genuum, tarſi aliisque. In hiſce vero articulis non, veluti in aliis corporis partibus, parvi, circumſcripti mobilesque tumores oriuntur, ſed unicus tumor animadvertitur aequabili modo articulum cingens eiusque motum impediens; ſimul utplurimum tumefactis oſſium capitibus. Huc inprimis pertinent tumores albi (*White-Swellings*) Anglorum, quos R. B. *Cheſton* **) & B. BELL †) tam praeclare deſcripſerunt, quique in cunctis fere articulis oriri poſſunt, licet ſtrictiori ſignificatu nomen illud tumores ſolummodo in genu denotet. Interdum articulorum diſtorſio vel contuſio humori ſcrofuloſo occaſionem praebet, ſeſe in iis manifeſtandi; plerumque vero nulla iniuria externa praeceſſit, tuncque tumor

---

*) Cf. Prix de l'ac. de chir. l. c. p. 159. 168 & 290. RENARD Eſſay ſur les ecrouelles p. 16.

**) Pathological Inquiries and obſervations in ſurgery. Gloceſter. 1766. 4. cap. V. p. 71. ſq.

†) Treatiſe on ulcers.

tumor pedetentim ſine ullo ſaepe dolore aut cutis decoloratione exiſtit. Ceterum auctorum deſcriptiones circa albos hoſce articulorum tumores, qui inter periculoſiſſima mala merito referuntur, inſigniter variant, unde non una, ſed multifaria ratione articulos a viru ſcrofuloſo affici, merito concluſeris. — Pertinet quoque ad dyſcraſiae ſcrofuloſae effectus peſſima illa cum oſſium inflatione coniuncta caries, quam *ſpinam ventoſam* ſ. *paedarthrocacem dicunt*. Sed haec hactenus. Alibi (P. III) de multiplici oſſium atque articulorum a cauſa ſcrofuloſa affectione fuſius & ex inſtituto diſſeram. — Ipſos muſculos interdum tumeſcere, VOGELIUS *) auctor eſt.

§. 10.

De tumoribus cyſticis ſcrofuloſis.

Cyſticos ſive ſaccatos tumores vocaveris, qui ſacco ſuo includuntur; notiſſimaque eſt eorum pro materiae contentae (quae tamen plurimis modis variat) diverſitate in atheromata, melicerides, ſteatomata diſtinctio. Tactu ſunt molles vel duri. Non tamen ſemper, praecipue ſacco valde incraſſato (vel tumore profundius ſito) tactu conſiſtentia materiae contentae diiudicari poteſt. Saccus quippe interdum craſſus, quin cartilagineus fere eſt, alias tenuior, plerumque eo craſſior, quo vetuſtior tumor. Plerumque unum tantum cavum adeſt, ſaepe tamen in plura loculamenta dividitur. Interdum materia contenta evaneſcit, ſaccus vero remanet, interdum e contra ſaccus ſenſim diſparet

*) Praelection. p. 626.

& materia indurata perſiſtit. Steatomata ſaepe ex multis lobulis conſtant ſibi approximatis, facile tamen ſeparandis. Mobilis eſt ſaccatus tumor vel immobilis; immobilium poſterior ſuperficies plures ſaepe inaequalitates habet, quibus tumor inter ſubiacentes partes ſeſe inſinuat.

Duplici potiſſimum modo generari videntur tumores cyſtici, ex dilatato videlicet mucoſo folliculo (cf §. pr.) vel in celluloſo contextu. Mucoſi folliculi ubivis locorum in corpore diſperſi, quantumvis exigui ſint, ſi qualiscunque cauſa morboſa illos irruat, ab accumulatis ſtagnantibusque humoribus ſenſim dilatari atque in inſignem evehi poſſunt magnitudinem; quod quidem in ſcrofuloſis etiam ſubiectis fieri cernimus. — Pleriſque tamen, ſaltem maioribus atque ſteatomatoſis (quorum moles ſaepe ingens) tunicatis tumoribus generandis ſola tela celluloſa inſervire videtur: dum nempe materies eos conſtituens in contextu cellulari colligitur eumque diſtendendo & quaſi in membranam ſtipando ſibi ſaccum format. In morbo ſcrofuloſo tota ſanguinis maſſa tanquam peculiari acrimoniae genere inquinata concipienda eſt, quod lymphae inprimis adhaeret. Lympha vero ubivis a vaſis exhalantibus in cava & interſtitia celluloſa roris forma deponitur, propriis dein vaſis reſorbenda in communem humorum circulum revehenda & denuo ſeparanda & ſ. p. Si iam illa ex peculiari adhaerente vitio ad coagulum prona fuerit, facile in celluloſa ſubſiſtere, ſtagnare, inſpiſſari poterit, variisque modis corrumpi, nec exilia reſorbentium vaſorum intrare oſcula. Accedit, quod lymphae iam ſatis ſpiſſae reſorbtio a glandularum conglobatarum, tenerrima quarum vaſa permeare debet, obſtructione, forſan etiam a reſor-

reſorbentium vaſorum debilitate atque relaxatione neceſſario impediatur, eiusque hinc ſtagnatio & in cyſticos tumores concretio promoveatur. Ubivis hinc in tela celluloſa tales tumores generari poterunt.

Deturpant tunicati tumores in ſcrofuloſis *) non externa ſolum corporis loca varia, inprimis collum, ſed intrinſecus etiam in viſceribus, pulmone, meſenterio, hepate & ſ. p. reperiuntur. Externi a glandularum lymphaticarum tumoribus ſolo tactu facile diſtinguuntur. Molliores nempe utplurimum ſunt, magis aequales, minus plerumque mobiles, praeterea longe maius volumen adipiſcuntur.

Multiplex licet tumorum cyſticorum ſubſtantia ſit, ſteatomatoſam tamen in ſcrofuloſis crebrius reliquis oſtendunt; cum vix non ſemper tum in corporis ſuperficie tum in viſceribus ſcrofuloſorum ſteatomata reperiantur. Quin totum pulmonem dextrum in ſteatomatoſam maſſam commutatum fuiſſe, viſum **). Cartilaginoſas fere pinguedinis indurationes paſſim inter muſculos, ad cor &c. in cadaveribus ſcrofuloſis invenit PORTAL. Generatim, bene notante b. LORRY †) acrimonia ſcrofuloſa multa in pinguedinem potentia gaudere videtur; quod ſane mirum non eſt, cum lympha inquinata in textum celluloſum, pinguedinis

F 3 ſedem

*) Interdum ſcrofulas eſſe e genere tumorum cyſticorum, — tumores cyſticos in collo utplurimum ſteatomatoſae indolis vocari ſcrofulas ſtrumasve, HEISTER. Chir. p. 657. 444.

**) DEASE Surgery Vol. I.

†) Comment. de morb. pingued. in Mem. de la Soc. Roy. de Med.

ſedem ubivis exhalet, dictaeque acrimoniae propria ſit facultas humores inſpiſſandi atque coagulandi.

Praeter lardaceam, adipoſam vel ſebaceam conſiſtentiam, materies quoque purulenta, caſeoſa vel lac coagulatum referens, pultacea item mellea quaſi, nec non tenuis rubella coagulis utplurimum albis lymphaticis intermiſta, quin calcarea & gypſea, verbo, innumeris modis varians in ſaccatis ſcrofuloſorum tumoribus occurrit. Quae quidem materiae contentae diverſitas a cauſis mere accidentalibus pendere videtur, ineptumque eſſet, inde cum *Charmettono* *) ad varietatem acrimoniae ſalinae concludere velle. Non in diverſis ſolum aegris, ſed in uno eodemque ſubiecto differens in variis tumoribus materies deprehenditur.

Neque hoc loco praetereundum, in ſcrofuloſis interdum pravos corruptosque humores, intermiſtis ſaepe albis coagulis in textu celluloſo accumulari absque diſtincto ſacco illos includente.

§. 11.

Sectiones cadaverum.

Caſum ab HAENIO **) narratum hic brevibus repetere haud piget, cum multa tum hucusque dicta, tum poſtea adhuc notanda confirmet.

Puer decem annorum multis in collo & ſub axillis tumoribus ſcatebat, muco turgidus, ventre tu-

*) Prix de l'ac. de ch. l. c. p. 165. ſq.
**) l. c.

tumidus, totus cachecticus erat. Multis remediis incaſſum adhibitis hydropicus factus expletis in noſocomio decem ſeptimanis exſtinguebatur. Cadaver luſtratum ſequentia exhibuit. Aperto abdomine meſenterium vehementer tumidum, tum penitus nudum ac conſpicuum, inteſtinis omnibus quaſi naturaliter verſus ambitum remotis. Tumores meſenterii magni durique, iidem & ſolitarii, cum peritonaeo vero & ligamentis vertebrarum lumborum adeo intime concreti, ut meſenterium citra dilacerationem haud potuerit a vertebris ſolvi. Quoad naturam tumorum in quibusdam medium folliculum occupabat *alba materies aut gryſea, unita, aequabilis craſſa, pulte durior, mollior lardo, & in meditullio verae pulti ſimilis.* In aliis materies tum *albidior* erat tum etiam in *meditullio durior.* In aliis *tota* iterum *dura, aequabilis ſciſſilis.* In nonnullis *veluti calx aquae miſta* apparebat, digitis nullam exhibens aſperitatem. Denique in uno alterove *vera calcarea* materies, dura, tactu aſpera, ceu in fungoſum lapidem concreta. Ubivis fere locorum in corpore tales tumores erant, encephalo ſolo excepto. Multa in thorace & abdomine aqua. Ad monſtroſum collum verſo examine, tumores non amplius ſolitarii, ſed ex pluribus minoribus ſibi incumbentibus accumbentibusque & communi cellulositate circumdatis conſtabant. Membranas alii tenues, craſſiores alii, nonnulli prope cartilagineas habebant. Intercurrebant per tumorum intercapedines, ſupraque eosdem arteriae, venae, nervi multi per tunicarum ſubſtantiam diſperſi. Tumore prudenter aperto vaſa eadem in minores, quibus maſſa componebatur, tumores ſe dividebant: tumorumque multi vaſis in collo maioribus tam firmiter increverant, ut ſine alterutrorum laeſione ſe-

ſeparari non poſſent, vaſa tamen illa maiora a tumoribus non videbantur notabiliter comprimi. *Ubique in colli tumoribus diverſitas materiae:* imo aliquot ante mortem ſeptimanis ingens adparuerat tumor, ſuppuraverat, diſparuerat. Plerique vero quaſi una *cartilaginoſa* ſubſtantia erant, vel *atheromata*. Sedes porro omnium aut glandulae erant, aut adipoſi folliculi.

Haec cadaveris ſectio in exemplo iam docet plura, quae poſt mortem in ſcrofuloſis reperiuntur. Alia in antecedentibus paſſim iam notavimus, vel in progreſſu tractationis commodis locis interſeremus. Pauca ſolum hic colligimus.

Cl. DEASE *) in ſcrofuloſo cadavere cor a pure tenui ſanioſo adeſum deprehendit. In alio **) pericardium durius ac inſtar ſuillae pellis ſpiſſum, ſterno firmiter adhaerens, ipſumque cor naturali maius erat. Reperierunt quoque epiploon liquefacto adipe fuſum, ſtagnationes in abdomine, pectore & capite ſeroſas, ſanioſas, purulentas, ſarcomata polypoſa ventriculo & inteſtinis extus & intus adnata. (LIEUTAUD) In cadaveribus infantum ſcrofuloſorum invenit BORDEU †) hepar ſiccum mole auctum, flavi vel albi coloris, in veſicula autem fellea ſubſtantiam albam, transparentem, inſtar ichthyocollae. In puero ſesquienni, qui febre lenta perierat, praeter omnes meſenterii glandulas obſtructas inprimis quoque totum hepar obſtructum & induratum, veſicula fellis

---

*) l. c.

**) l. c. p. 351.

†) Prix de l'ac. de ch. l. c. p. 52.

fellis bile vacua, renesque ſcirrhoſi & ex parte ulcerati erant *) & ſ p. — Generatim plurima obſtructa, tumida, incraſſata, indurata, concreta, ulcerata, exeſa, alia emaciata, extenuata, ſtagnans latex, prava materia multiplex collecta &c. in ſcrofuloſorum cadaveribus obvia ſunt, cum vix hoc morbo exſtinguantur homines, niſi ad inſignem gradum provectus fuerit, vel atrophiam, phthiſin, hecticam, hydropem rel. poſt ſe traxerit.

§. 12.

Diagnoſis ſcrofularum. Habitus ſcrofuloſus.

Scrofulas non eſſe malum topicum, ſed ab univerſali i. e. totum corpus obſidente cauſa provenire, copioſus illarum in diverſis locis proventus ſatis declarat. Qualecunque igitur vitium, vel ſi mavis, miasma corporis latebris inhaereat neceſſe eſt, quod facultate inſtruitur inſpiſſandi lympham, obſtruendi glandulas pluraque praeterea incommoda excitandi, quorum infra paſſim mentio fiet. Cum vero non omnes glandularum tumores, ſed ii ſolum, qui a peculiari illa cachexia ſcrofuloſa proficiſcuntur, ſcrofularum nomine veniant, diſpiciendum erit, quibusnam ex ſignis cognoſci poſſit, an glandularum tumores ſcrofuloſi dicendi ſint, nec ne? vel aliis verbis, de ſcrofuloſae cachexiae diagnoſi agendum erit. Quam quidem facilitat attenta totius morbi decurſus cauſarumque praegreſſarum conſideratio. Sedulo iubet

*) WAHLBOM in Vetenſk. Akad. Handlingar for år 1762. Vol. 23. p. 158.

CHARMETTON *) ad vitam aegrotantis anteactam inde ab ineunte aetate reſpicere, & an mutationibus obnoxium fuerit corpus diſpoſitioni ad ſcrofulas ingenerandae idoneis cum cura inveſtigare, quo certa quaedam tumorum ſcrofuloſorum habeatur diagnoſis.

Praecipue vero dyſcraſiam ſcrofuloſam adeſſe docent ſigna quaedam extrinſecus conſpicua & habitus plane ſingularis, quem ſcrofuloſorum corpora prae ſe ferunt, quemque recentiori potiſſimum aevo medici ad morbum noſtrum curatius attendentes cognoverunt. Antequam vero hunc habitum ſpecialius deſcribamus, generalia quaedam de ſcrofuloſae cachexiae diagnoſi notabimus. Et primo quidem, quo illius praeſentia rite diiudicetur, plura criteria ſimul ſunt conſideranda, non unum tantum alterumve. Multa quippe ſigna ita ſunt comparata, ut etiam in ſaniſſimis, ſaltem non ſcrofuloſis *ſigillatim* quandoque occurrant, id quod ſpeciali recenſione apparebit; plura proinde eorum *iunctim* praeſentia certi demum aliquid concludere ſinunt. — Deinde in iuniorem fere ſolam aetatem habitus ſcrofuloſus cadit; in adultis vix eſt animadvertendus, ſaltem ſigna hic longe obſcuriora ſunt, quin haud pauca eorum prorſus deſiderantur. Porro ad habitum dictum cognoſcendum uſus quidam requiritur & exercitatio, crebra hominum morbo noſtro conflictantium contemplatione enata, qua aptus evadit medicus primo ſtatim intuitu, vel ex phyſiognomia, ut aiunt, in plurimis caſibus determinandi, num aliquis cachexia ſcrofuloſa laboret, licet, quibusnam

*) Prix de l'ac. de ch. l. c. p. 202 ſq.

nam praeciſe indiciis id cognoſcat, vix ſemper diſtincte queat enumerare. — „Mutabilis eſt, ut cum ACKERMANNO *) loquar, morbi ſcrofuloſi indoles, variisque ludit formis, prout diverſa eſt partium, quibus penitius inſedit, morborumque, quos comites habet, natura.“ Rarius omnia criteria mox perpendenda in uno eodemque ſubiecto ſimul apparent; ſed ſaepe pauciſſima eorum; quin interdum praeter tumentes glandulas nullum extrinſecus ſignum apparet, quo quidem in caſu cauſae praegreſſae, totusque morbi decurſus facem diagnoſi praeferant. Alias nullae externae glandulae tumidae apparent, licet vitium ſcrofuloſum omnino corpus detineat; duplici quidem in caſu: 1) Glandulae externae quondam tumuerunt, ſed morbi tralatitii inſtar vitioſus humor ad viſcerum, meſenterii inprimis & pulmonum glandulas delatus eſt, vel oſſa, articulos &c. invaſit. Hic diagnoſin glandulae externae, licet iam non amplius, quondam tamen, tumidae ſatis adiuvant. 2) Malum ſtatim ab initio non externas, ſed internas glandulas occupat, & tunc cognitio difficilior eſt. Par hic eſt ratio vitii ſcrofuloſi atque arthritidis. Conſtat quippe, interdum materiam arthriticam in corpore generatam non ſtatim ad articulos vel exteriora loca deponi atque dolores excitare; ſed in viſceribus reſtitare, variosque pro ratione locorum, quos occupat, morbos inducere, quorum tunc natura arthritica difficillime cognoſcitur, cum artuum dolores non praeceſſerint. — Sic & phthiſis ſcrofuloſa atque atrophia ab affectis a morbo noſtro pulmonum meſenteriive glandulis haud raro

---

*) Diſſ. de ſcroful. natur. p. 6.

raro oritur, quamvis extrinſecus nullae unquam apparuerint glandularum tumeſcentiae. Hinc perſpicitur, cur „ſcrofulis externis obortis ſaepe ſanitas aliquantulum emendetur, abdomen durum, maxime praecordia tumida duraque molleſcant, concidantque *).“

Quid, quod interdum nullae in toto corpore glandulae obſtructae tumidaeque adſint, licet acrimonia ſcrofuloſa omnino illud detineat **); quo in caſu inprimis ex habitu ſcrofuloſo diagnoſis petenda. — Huc pertinet primus ille vitii ſcrofuloſi gradus, a quibusdam dictus (§. 24.), qui in cachexia ſcrofuloſa incipiente atque per corpus oberrante, nec dum in glandulis fixata conſiſtit. Larvatur interdum morbus cruſta lactea, achoribus, tinea, herpete, labri ſuperioris tumore &c. quos affectus ſucceſſu temporis vel incauta medela adhibita glandularum demum tumores, (qui in aliis caſibus illos praecedunt vel comitantur) excipiunt ***). Labri ſuperioris tumorem primum ſaepe vitii ſcrofuloſi effectum eſſe, teſtatur CULLEN †); neque minus articulorum tumores ſcrofuloſi interdum generantur, antequam glandulae induratae apparuerint ††), & ſ. p. — Nec hoc loco reticendum, quod haud raro, praeprimis in adul-

---

*) STOLL praelect. in diverſos morbos chronic. ed. EYBEL. p. 32.

**) SELLE med. clin. ed. 2. p. 226.

***) Cf. STOLL l. c.

†) *Anfangsgr. der prakt. Arzneyw.* IV. §. 1681.

††) CULLEN l. c. MACBRIDE introd. II. p. 392. verſ. CLOSS. Generatim in tumoribus albis ſcrofuloſis Anglorum, praeſertim in adultis, manifeſta cachexiae ſcrofuloſae indicia ſaepe deſunt.

adultis, glandularum tumores tum interni tum externi, quondam praeſentes ſenſim prorſus diſparuerint, licet acrimonia ſcrofuloſa adhucdum in corpore perſiſtat atque dominetur, morbosque ſcrofuloſos ſecundarios oſſium, articulorum, oculorum &c. alat. — Curatiſſime ſemper diſquirendae cauſae praegreſſae, vita anteacta inde ab incunabulis, parentum valitudo & ſ. p. praecipue vero ad habitum ſcrofuloſum attendendum; natura porro & indoles morborum conſideranda, cum ex ea ſola ſaepe iam ſcrofuloſa cauſa divinari queat, dicet tumidae glandulae cognitionem non adiuvent.

§. 13.

Criteria dyſcraſiae ſcrofuloſae ſigillatim dilucidantur.

Iam ad amuſſim perſequamur ſingulas habitus ſcrofuloſi partes, quaeque diagnoſi ſcrofuloſae cachexiae inſerviunt, ſigna externa notasque viſibiles, ſimul tamen, prout occaſio feret, & aliorum morbi noſtri ſymptomatum mentionem iniiciendo. Duplicis vero generis notas illas eſſe, ſtatim in limine obſervamus. Sunt nempe *vel* effectus vitii ſcrofuloſi corpori iam inhaerentis, uti vix non omnia ſigna mox perſtringenda; *vel* ſunt ſolummodo qualitates quaedam corporis adhucdum a cachexia ſcrofuloſa prorſus liberi, quae vero indicant, illud ad concipiendum vel alendum vitium ſcrofuloſum prae aliis aptum eſſe natum. Sic homines temperamenti ſanguinei vel ſanguineo-melancholici, venis magnis carneque molli inſtructi *), infantes ac pueri habitu corporis molli, laxo,

---

*) CULLEN l. c. Vol. II. §. 816.

laxo, debili, tenero conſpicui, capillis mollibus, albis *), pulchris, oculisque in iride coeruleis **), atque pupillis amplis ***) praediti, praeſertim, ſi cutis ſimul tenera glaberrima ſit, faciei color inprimis in genis eleganter rubeat, genaeque plenae ſint, prae reliquis noſtro morbo ſubiecti eſſe ſolent. Homines etiam capillis rufis vel flavis gaudentes ſcrofulis prae aliis obnoxios eſſe perhibent. Cl. WHITE †) vero, multitudinem ſcrofuloſorum capillis nigris praeditorum, (quippe pauperculorum Iudaeorum prolem plerumque ſcrofuloſam eſſe) hoc aſſertum reſtringere, innuit, neque Nigritas a ſcrofulis immunes eſſe docet. — HARRIS ††) refert, corpulentos & obeſos infantes pituita diffluentes, verticis regionem mollem (pulpae ad inſtar tremulae) & apertam, quam dicunt Anglice *an open Mould*, ab anteriore ad poſteriorem cranii ſuturam perſaepe excurrentem diutius retinentes, rhachitidi, tuſſi convulſivae, aphthis difficulter cedentibus ac *ſcrofulis* maxime eſſe obnoxios. — Has proinde qualitates vel ad cauſas praediſponentes retuleris, vel ſaltem cauſarum praediſponentium corpori inhaerentium indicia dixeris. Quae vero effectus potius vitii ſcrofuloſi corpus iam tenentis habendae videntur notae externae, praeter ſymptoma eius praecipuum, glandulas puta tumefactas, ſequentes fere erunt:

1) Obſervarunt ſcrofuloſis *collum breve*, *frontem curtam & anguſtam*, *tempora preſſa*, *amplas largasque*

*) ACKERMANN diſſ. cit. p. 8.
**) CULLEN l. c. Vol. IV. §. 1679.
***) WHITE *über Scrofeln und Kröpfe* p. 19.
†) d. l. p. 9.
††) de morbis infantum.

gasque maxillas eſſe *). Antiquiores in talibus ob loci in cerebro anguſtiam prompte materiam pituitoſam ad collum derivari & ſcrofulas efficere exiſtimabant; conſiderabant proinde dictam conformationem veluti cauſam praediſponentem. Iſta criteria fere unica ſunt, quae a medicis antiquis in ſcrofuloſis obſervata legimus. Licet vero fatendum ſit, ſatis crebro ea occurrere, absque ſociorum tamen ſignorum adiumento maxime fallunt. Quot enim ſunt homines, quot inquam integrae familiae, quibus curta frons, breve collum, maxillae largae, compreſſa tempora propria ſunt atque peculiaria, licet a vitii ſcrofuloſi ſuſpicione plane liberi exiſtant. Praeterea non tam ab oſſium capitis atque vertebrarum colli conformatione provenire videntur iſta phaenomena, quam potius per accidens quaſi adeſſe. Collum enim multis tumoribus obſeſſum incraſſatur, nec poteſt non tunc apparere brevius, ac ſi naturali craſſitie gaudet. Niſi multa in collo ſint tumida, raro illud in ſcrofuloſis curtum apparet. Cum porro ad maxillas multae glandulae lymphaticae, tum etiam ſalivales collocatae ſint & in ſcrofuloſis haud raro quoque tumeant, labrorum praeterea, genarum, totiusque inferioris faciei quaſi oedematoſa inflatio mox notanda adſit; facile perſpicitur, quamobrem maxillae latiores appareant. Quo vero magis inferioris faciei amplitudo increſcet, eo frons anguſtior eoque magis compreſſa tempora conſpicientur.

Quid-

*) vid. e. g. VALESC. de TARANTA philon. chir. C. XI. p. 818. GUIDO DE CAULIACO chir. p. 79. SEVERINUS de recond. abſceſſ. nat. L. IV. Cap. 6. p. 169.

Quidquid horum ſit, inficias tamen ire non auſim, oſſium capitis ac vertebrarum colli conformationem in ſcrofuloſi quandoque paulo aliam eſſe ac in ſanis. Nec veterum, illam tanquam praediſponentem ad ſcrofulas cauſam conſiderantium, ſententiam, plane reiiciendam dixerim. Maiori tamen iure peculiaris iſta oſſium conformatio ad effectus cachexiae ſcrofuloſae iam inhaerentis referenda videtur. Cl. CULLEN *) frontem prominentem tunc potiſſimum in noſtris aegris cerni aſſerit, ſi rhachitidis veſtigia ſimul adfuerint. Si praeterea conſideres, eam vitii ſcrofuloſi naturam eſſe, ut articulos, cartilagines, ipſaque oſſa evidenter afficiat, ſcrofulasque ſaepe haereditate transferri, quod, uti poſtea patebit, dubio caret, adeoque prima vitii initia foetui iam in utero materno inhaerere; forſan variorum oſſium conformationem in ſcrofuloſis (vel inde ab origine) paululum diverſam eſſe, hancque diverſitatem pro effectu cachexiae ſcrofuloſae reputari poſſe, dixeris. — Confirmatur hoc quodammodo ea obſervatione, quod

2) *Caput totum, praeſertim ad occiput, interdum in ſcrofuloſis ſueto maius appareat.* Conſtat inter omnes, in rhachitide, morbo, uti poſtea oſtendam, ſcrofulae quam maxime analogo, capitis volumen plurimum augeri. Ita quoque in ſcrofuloſis capitis magnitudo ſuetam paululum ſaepe excedit, praeſertim ſi cum rhachitidis qualicunque gradu complicatus morbus ſit, vel ad atrophiam in iunioribus ſubiectis propius accedat, rhachitidi proinde ſimilior ſit, licet oſſium exulet emol-

*) l. c. §. 1679.

emollitio atque incurvatio. Haecce capitis aucta magnitudo per totam plerumque vitam ſupereſt. Sic novi adultos immani capitis volumine conſpicuos, licet totius corporis oſſa recta ſint, neque minimum rhachitidis quondam ea diſtorquentis veſtigium referant. Comperi vero eosdem in iuventute ſcrofuloſis affectibus atque atrophicis diu multumque conflictaſſe. — In morbo rhachitico defectus eſt materiae oſſeae, qua firmitatem nanciſci oſſa debent, proinde capitis quoque oſſa mollia ſunt facile diſtendenda, ſuturaeque laxae, facile cedentes, eo quidem magis cum primo vel altero a nativitate anno, corpuſculo adhuc tenerrimo exiſtente, rhachitis infeſta ſit. Cum iam in infantibus humores vehementer verſus caput urgeantur impellanturque, quid aliud exſpectandum, quam ut mollis laxaque calvaria in ingens volumen diſtendatur? Ita quoque eſt in vitio ſcrofuloſo, (quod per ſe, cum in oſſa atque articulos multa potentia gaudeat, etiam ad relaxandas infirmandasque ſuturas aliquid valere videtur) inprimis cum rhachitide complicato, vel ad atrophiam inclinante atque rhachitidi ſimiliori. Cum vero illud paulo adultiori aetate oſſibus iam magis confirmatis affligat, nec inſuper in emolliendis oſſibus multum valeat, ratio patet, cur interdum quidem aliquod, minime tamen tantum ac in rhachiticis, capitis incrementum in ſcrofuloſis obſervetur.

§. 14.

Continuatio. Signa Cachexiae ſcrofuloſae in facie & oculis.

3) In *facie* plura cachexiae ſcrofuloſae ſigna

deprehendimus. Scite Cl. BOSE *) ait: *Varia occurrunt & pene dixerim quotidiana exempla infantulorum tenellorum, quae noſtris obſervantur oculis, quorum in facie depictam quaſi videmus cacochymiae imaginem, ita egregie expreſſam, ut de totius interioris habitus diſpoſitione luculenta ſimul ſuppeditet documenta.*

Color faciei in quamplurimis ſcrofuloſis, praecipue circa genas, amoene *roſeus*, quin *rubicundus* eſt; ut primo intuitu tales pro ſaniſſimis declaraveris. In aliis vero, ſecunda nempe morbi noſtri varietate poſtea (§. 18.) determinanda cachecticus eſt & *pallidus* faciei habitus Hinc CULLENIUM **) taxandum iudico, quod colorem faciei rubicundum & bonum in ipſam ſcrofulae definitionem receperit.

Praeterea ſemper *facies inflata paululum & quaſi oedematoſa* cernitur, ſive rubeat, ſive palleat; quod quidem a reſorbtione propter ſyſtematis lymphatici infarctum, imminuta atque impedita derivandum videtur. Habitus hic oedematoſus, tumidulus in quibusdam faciei partibus prae aliis diſtincte apparet; circa *genas* nempe usque ad aures, dein in *palpebris*, inprimis inferioribus, praecipue ſi ophthalmia ſcrofuloſa ſimul adeſt. *Naſi* craſſities ſueta maior. Ex praecipuis atque conſtantiſſimis vero ſignis eſt *labii ſuperioris tumor*, qui ad *inferiorem ſepti & alarum narium partem* ſaepe porrigitur. In *medio labri tumidi fovea* ſ. impreſſio profunda conſpicitur, quae quidem ſemper in ſtatu naturali adeſt & philtri nomine venit, tumen-

*) Progr. de morbis neceſſariis, Lipſ. 1784. p. 8.
**) Noſol. method, Gen. 80.

tumente tamen a cauſa ſcrofuloſa labro magis diſtincte apparet. Hancce labri ſuperioris tumeſcentiam, quae aſſidua eſt, aut frequenter recurrit, primum ſaepe vitii ſcrofuloſi effectum eſſe, & iam apparere antequam glandulae tumefiant, ſupra (§. pr.) notavimus. Ubi labii ſuperioris craſſitudo adparet, etiamſi alia indicia non accedant, haud iniuſtam acrimoniae ſcrofuloſae ſuſpicionem oriri, innuit MACBRIDE *); quare & CULLENUS **) illam in definitione commemorat. — Interdum tamen in morbis vere ſcrofuloſis, inprimis adultorum, tumor labii non animadvertitur. Praeterea novi plures hominum familias, & cuilibet tales notae erunt, quarum progenies, licet ſaniſſima & a cachexia ſcrofuloſa prorſus libera ſit, tumido ſuperiori labro longeque ſupra inferius prominente diſtinguitur. — Scrofuloſae vero indolis eſſe tumorem naſi labiique ſuperioris in pueris, exinde patet, docente STOLLIO †), quod fuerint antea ſcrofuloſi, aut ſcrofulae ſimul adſint, aut morbo labii evaneſcente oriantur ſcrofulae, aut quod curam hic labii morbus antiſcrofuloſam petat.

Cl. HOME ††) aſſerit, tumorem oedematoſum alarum naſi, labii ſuperioris & partis adiacentis genarum certum vermium inteſtinalium ſignum conſtituere; quin quando idem ſymptoma in ſcrofulis occurrat, vermes quoque in inte-

*) l. c. p. 393.

**) l. c.

†) l. c. p. 40.

††) Clinical experiments. Sect. XX.

ſtinis adeſſe *). Aſt vero errorem hic ſubeſſe perſuadeor. Conſtat utique, in ſcrofuloſis perſaepe verminoſam colluviem nidulari, & in talibus ſolummodo verminoſis, qui ſimul cachexia ſcrofuloſa laborant, tumorem iſtum labri naſique deprehenderim, minime in aliis, neque ullus, confido, attentus medicus aſſenſum mihi denegabit. Ita quoque iudicaverim de aſſerto Clmi BROUZET **), naſum inſtar cerae album vermes denotare. Fallacia vero in hiſce caſibus facillima erat, ob frequentiſſimam vermium cum ſcrofulis complicationem. Recte KAEMPFIUS †) obſervat, plura ſigna, quae pro certis vermium indiciis communiter habentur, ſaburram potius pituitoſam, corruptam, (quae in ſcrofuloſis vix non ſemper inteſtina obruit) deſignare.

Ceterum in iis quoque ſcrofuloſis, qui genis floridis ac rubentibus gaudent, tumidulum tamen labrum, naſus, parteſque proxime adiacentes albidum atque cachecticum colorem prae ſe ferunt, quin ex eo ſaepe vitium ſcrofuloſum primo intuitu cognoſcitur, quod, dum genae circumſcripte rubent, naſus, labrum & appoſita faciei pars pallidum colorem oſtendant. Interdum tumor labii inſigniter increſcit, ut in cuticula adeo huc illuc fiſſurae oriantur; tunc quoque inflammari poteſt ††), quod & a muco acri e naribus ſtillante facile

---

*) WEBSTER Syſt. prax. med. Edinb. 1781. T. III. p. 208.

**) Eſſay ſur l'education medicinale des enfans T. II. p. 57.

†) *Abhandl. von einer neuen Methode* p. 152. ed. 2.

††) Quale exemplum narrat LAVINGTON in philoſoph. Transact. 1765. Vol. 55.

facile contingit. Inflammati vero labii colorem non albidum ſed rubicundum eſſe, mentione vix indiget.

Quamnam vero ob cauſam labium ſuperius prae tota facie tumidum atque inflatum cernitur? Videtur a copioſis glandulis parvis tum labio ſuperiori inhaerentibus tum in toto oris ambitu collocatis humore ſcrofuloſo turgentibus aliquo modo derivari poſſe; veluti etiam naſi copioſis folliculis muciparis inſtructi craſſities ab eadem pendere videtur cauſa. Nec diſplicet BORDEVII *) ſententia, qui hunc tumorem exinde oriri ſuſpicatus eſt, quoniam natura formationem labii ſuperioris omnium embryonis partium noviſſime abſolveret, unde eius partis debilitas maior exiſteret, irruenti cauſae morboſae facilius cedens.

Naſus labrumque ſuperius non tument ſolummodo praeternaturaliter, ſed mucus quoque acris e naribus copioſe effluit, unde illae rubent, pruriunt, & una cum labio ſuperiori eroduntur, leviter exulcerantur, cruſtuliſque obſidentur non raro denſiſſimis, magnis, copioſiſſimis, in aqua calida ſolubilibus **), quare, ut foeda forma labri

 diſpa-

*) Prix de l'ac. de ch. l. c. p. 67. Cf. ib. p. 31.

** Humoribus ex quibuscunque exulcerationibus ſcrofuloſis promanantibus id privum & peculiare eſt, ut facillime prompteque coagulentur, inſpiſſentur. Hinc ex ulceribus prodeunt coagula, materies quam ſcabies capitis plorat, abit in cruſtas, nares cruſtoſa areſcente materia replentur, inferior narium pars, eroſumque labrum cruſtulis obſidentur &c. — Pruritus narium iam oritur a muco in illis areſcente, veluti in calore febrili obſervamus. Accedit in ſcrofuloſis acrimonia muci ſtillantis.

diſpareat, ſaepe matres tepida aqua has emolliunt & abluunt. In initio tales cruſtae fuerunt ulcuſcula quaſi aphthoſa, humore albo, mucoſo, acri repleta, quae confluunt & ſic denſa ſcuta ex coagulata areſcenteque materia formant, ſub quibus colligitur materies acris, unde pruritus augetur. Quin interdum profunda valdeque dolorifica labii ulcera ſuboriuntur. — Quae quidem omnia adigunt pueros ad naſum labrumque crebro digitis fricandum atque ſcalpendum, quod abſque exulcerationis augmento fieri nequit. — Certe non ad ſolos vermes inteſtinales, ſed inprimis & ad dyſcraſiam ſcrofuloſam reſpiciendum, ſi pueri digitos frequenter naribus admovent.

4) *Oculos magnos, ſplendentes, pulcerrimos*, ubi ophthalmia nondum urget, in ſcrofuloſorum permultis obſervaveris, in aliis vero — nempe inprimis in ſcrofula meſenterica in atrophiam propendente poſtea determinanda — oculi potius *languidi, nitore orbati, lacrymoſi*, inferiusque *ſemicirculo inflato coeruleo* vel livido cincti conſpiciuntur. Ab humoris lymphatici abundantia & reſorbtionis imminutione oculorum dicta magnitudo inſueta & ſplendor deduci poſſe videntur; praeeunte illa obſervatione, quod ipſa hydrophthalmia non raro in ſcrofuloſis oriatur. Interdum, notante BERTRANDI *), infantes ſcrofuloſi vero oculorum hydrope laborare videntur, quod malum, docente alio **), praecipue in ſcrofuloſis atque

*) *Abh. von den Geſchwülſten* p. 359.

**) BELL *Lehrbegr der Wundarzneykunſt* Vol. III, p. 223. *Anm. des Ueberſetzers.*

atque cachecticis hominibus a glandularum obſtructione oritur.

Multiplici praeterea ratione oculi a cachexia ſcrofuloſa male habentur; recteque monet BELL *), ſcrofulas oculis magis, quam ulli alii parti infeſtas eſſe. Ophthalmiae inprimis atque lippitudines dein, corneae obſcurationes, cataractae, amauroſes, aliaque plura oculorum mala, de quibus in *tertia parte* ſpecialior ſermo fiet, frequenter in ſcrofuloſis ſuboriuntur.

Ex praecipuis vero hoc loco conſiderandis cachexiae ſcrofuloſae ſignis in oculis occurrentibus eſt *Mydriaſis* ſ. *pupilla dilatata*, notante primum, quantum apud me conſtat, Cl. WARNER **); — quam in iunioribus ſcrofuloſis tantum non ſemper obſervaverim, excipe ſi gravior ophthalmia ſimul adfuerit, quo in caſu pupilla ab irritatione contrahitur. — Conſtat quidem ex quotidiana obſervatione, in omnibus infantibus etiam ſaniſſimis pupillam longe ampliorem eſſe ac in adultis; detento autem a vitio ſcrofuloſo corpore illa multo adhuc magis dilatatur & inſuetam refert nigredinem. Cauſam huius phaenomeni ex parte quaeſiveris in totius corporis debilitate atque relaxatione, quam ex potioribus ſcrofuloſorum affectuum characteribus eſſe, alibi oſtendam. Etiam in aliis morbis cum vitalium virium defectu coniunctis mydriaſis occurrit; in lipothymia videlicet, in febribus malignis, in enervato ab onanitico vitio corpore. Phthiſeos quoque ſymptoma

 eſſe

---

*) l. c. p. 231.

**) vid. NOOTNAGELL diſſ. de amauroſi, Erlang. 1776.

eſſe pupillae dilatationem, obſervat WITHERING *). In hiſce caſibus debilitas ſolidorum totius corporis in circulares etiam iridis fibrillas cadere videtur, ut hae debito modo arctandae pupillae non amplius ſufficiant.

Praecipua vero mydriaſeos ſcrofuloſorum cauſa procul dubio in imo ventre latet. Conſtat inter omnes, mirabile commercium obtinere, uti totum caput inter & abdomen, ita & inprimis inter oculos & infimum ventrem **). Irritamenta cuiuscu que generis in abdomine collocata vario modo oculos afficere poſſunt, ſpaſtico nempe, paralytico, alio; quod ex nervorum, vagi inprimis & intercoſtalis conſenſu atque communicatione explicandum eſt. Quis neſcit, diplopiam, ſtrabismum, ſcintillas ante oculos, haud raro ſordium gaſtricarum mobilium ore vel ano eiici paratarum deſignare praeſentiam? Amauroſeos creberrima ex abdomine origo, quis eſt, quem fugiat? ita ut v. c. effuſionem bilioſam ab ira factam ſubito illam induxiſſe & emeticum exhibitum extemplo ſuſtuliſſe obſervatum ſit ***). Amauroſin a colica productam & emetico ſublatam commemorat FABRE †); — ut plura ubivis obvia exempla taceam. In amauroſi vero pupilla ampla & plerumque immobilis eſſe conſuevit. — Clmo NOOTNAGELL ††) homo innotuit, cuius pu-

*) Account of the Foxglove.

**) RAHN mirum caput inter & abdomen commerc. p. 20. ſq.

***) Ill. RICHTER Obſs. chir. Faſc. II.

†) Journ. de med. T. XX. p. 346.

††) diſſ. cit.

pupilla ampla immobiliorque erat, quoties ſaburra primas vias obruebat; qua purgantibus eiecta pupilla ſtatim imminuebatur. — Mydriaſin vermium ſignum eſſe in canali inteſtinali habitantium, dudum obſervarunt medici *); ſed non tam ipſos vermes, quam ſaburram potius corruptam, pituitoſam cum iis vix non ſemper ſociatam cauſam huius phaenomeni dixerim. (Cf. KAEMPFII paulo ante dictam animadverſionem.)

Pauca haec exempla, innumeraque alia ſatis comprobant, vitia in abdomine haerentia oculos male mulctare poſſe & nominatim quoque iridem debilitando vel quadam paralyſi afficiendo pupillam amplam reddere. Abdomen vero ſcrofuloſorum, quot quantaque vitia cuſtodit! glandulas obſtructas, viſcera infarcta, cyſticos tumores, canalis alimentaris ſaburram viſcidam, pituitoſam, acidam, verminoſam & ſ. p. Quam quidem abdominis multiplicem labem veram pupillae in ſcrofuloſis pueris ampliatae cauſam eſſe, luculenter ex ea obſervatione apparet a memet ipſo ſaepius facta, quod nempe mydriaſis abdominis tumori commenſurata ſit. Quo ampliorem, duriorem, magisque tenſam in molem imus venter diſtendebatur, eo magis quoque pupillae dilatatio atque immobilitas augebantur. Nec unquam mydriaſis vel minimum veſtigium in ſcrofuloſis deprehendi, quorum abdomen non evidenter ſimul affectum erat; hinc & in affectibus ſcrofuloſis adultiorum raro pupilla ampla apparet, cum in his

*) COOPMANNS in A. MONRO nervor. anat. contract. p. 151. not. ed 2. VAN DEN BOSCH, v. PHELSUM, RAHN d. cit. p. 24. aliique.

rarius minusque ac in infantibus materies ſcrofuloſa in abdomine figatur. In ſcrofula meſenterica abdomen interdum immanem in modum tumet; tunc vero etiam pupilla tam ampla evadit, ut de iride vix aliquid ſuperſit, mobilitatemque ſuam prorſus amittit. Quo quidem in caſu in pauperculorum plebeiorum prole haud raro vitium facile tranſit in amauroſeos ſpeciem, congruis tamen remediis tempeſtive adhibitis ſaepe cedentem. — Plerumque vero, mydriaſi licet ad magnum gradum provecta, viſus integer & illaeſus manet, nec multum minuitur mobilitas pupillae. Mirum profecto eſt, infantes ſcrofuloſos a radiis luminaribus, qui per dilatatam pupillam copioſius longe, ac in ſanis, retinam irruunt, (quamvis enim ad luminis radios mobilis adhuc pupilla contrahatur, ſemper tamen iuſto amplior manet) graviter non affici. Videtur retina clariori & uberiori luci ſenſim adſueſcere, cum non ſemel & ſimul, ſed ſenſim paulatimque oriatur mydriaſis. Praeterea in ſcrofuloſis non ea debilitas occurrit, quae cum ſenſibilitate & irritabilitate aucta coniuncta eſt, ſed ea potius, quam (introd § 2) phlegmaticam diximus, laxitate & ſenſibilitate irritabilitateque imminuta conſpicuam; quod forſan quoque in cauſa eſt, cur a vividiori luce minus afficiantur ſcrofuloſi. Generatim in infantibus, etiam ſanis quaedam nervi optici hebetudo adeſſe videtur, cum pupillae eorum ampliores ſemper ſint, quam adultorum.

§. 15.

De ventre tumido ſcrofuloſorum.

5) Vix non omnium ſcrofuloſorum *abdomen* plus minus *tumidum* eſt, *tenſum* atque *durum*. Quae

Quae quidem phyſconia, ut SAUVAGESII vocabulo utar, inprimis apparet in varietate morbi noſtri altera poſtea (§. 18.) deſcribenda, quae in atrophiam facile tranſit: noſtrisque aegrotis cum rhachiticis communis eſt & ab iisdem fere cauſis in utroque malo pendet. Color cutis in abdomine praeternaturaliter ſimul pallet & in provectiori malo ſaepe liveſcit. Ex minori maiorive ventris tumeſcentia optime ſcrofulae meſentericae gradus diiudicatur. Plures cauſae ad phyſconiam ſcroſuloſorum producendam conſpirant. Primo loco notandi veniunt tumores meſenterii, tum glandulae induratae & magnitudine auctae, tum omnis generis tumores cyſtici, hydatides, ſarcomata, atheromata, ſteatomata *). Nodoſae inaequalitates, quae ſeſe offerunt abdomen curatius tangenti & exploranti, hanc cauſam ſatis demonſtrant. Praecipue durities abdominis inde repetenda. HEISTERUS **) ea recenſens, quae in diſſectis rhachiticorum cadaveribus deprehendit, notat, in iis, quorum glandulae meſentericae valde tumidae ac durae reperiebantur, abdomen longe durius fuiſſe, quam in iis, qui glandulas non adeo magnas referebant.

At vero dicta phyſconiae ſcrofuloſorum cauſa non unica eſt. Abdomen enim plerumque non inaequaliter ac nodoſe tumidum tangitur, ſed aequabili modo inſtar tympani tenſum & pulſum quaſi reſonans, id quod a tumefactis glandulis deduci poteſt nequaquam; ſed a flatibus derivandum

---

*) Cf. SAUVAGES Gen. *phyſconia* ſp. 6. *meſenterica.*

**) *Med. und chir. Wahrnehmungen.* T. I. p. 24. ſq.

dum eſt, quibus inteſtina expanduntur atque diſtenduntur, & quidem ſaepe in molem naturali duplo fere maiorem. Atrophicorum atque rhachiticorum cadaverum luſtratio hoc confirmavit. Mirum profecto non eſt, in infantibus, quorum vis concoctrix (ob bilis potiſſimum inertiam atque defectum) plane peſſumdata eſt, flatus generari, & inteſtina per ſe ſatis debilia, ſaburra viſcida, acida, verminoſa corrupta infarcta diſtendere ac dilatare, praeſertim cum ad alimenta craſſa, farinacea, leguminoſa, flatulenta ingenti appetitu ferantur tales infantes. — Interdum flatulentiae ſpasmus ſociatur. Sic b. KAEMPF *) caſum narrat pueri triennis inſigni abdominis tumore & colluvie verminoſa una cum inſigni voracitate laborantis, in quo durante horae quadrante ter mirum phaenomenon obſervavit. In inguine nempe dextro elevabatur tumor oculis & tactui patens, ſenſim verſus umbilicalem regionem progrediens, tunc ad inguen dextrum deſcendens & ſono forti etiam parum e longinquo percipiendo evaneſcens; cuius ſymptomatis cauſae erant ſpasmi a vermibus concitati atque flatus ſimul.

Praeterea viſcera, inprimis hepar atque lien in noſtris aegris, ubi malum adolevit, pro ratione corporis maiora ad ventrem turgidum reddendum concurrunt; tum quoque atrophiae ad magnum gradum provectae aſcites ſeſe plerumque ſociat, quae laticis collectio abdominis non poteſt non augere diſtenſionem.

Quo magis glandularum abdominalium obſtructiones augentur & confirmantur, ventrisque in-

*) l. c. p. 160.

increſcit tumor, eo maior obſervatur in reliquis corporis partibus nutritionis defectus. *Extremitates* hinc *emaciantur*, *extenuantur*, *pectusque aridum* fit. Id quidem minime mirum, cum chylus omnis vaſa meſenterii lymphatica & glandulas conglobatas permeare debeat. Non tamen ſimulac infarciuntur ac tument hae glandulae, ſtatim amittunt omnem humorem transmittendi facultatem penitusque obſtruuntur. MORGAGNUS *) in uno cadavere ſcrofuloſo glandulas meſenterii haud obſtructas invenit, aſſerit tamen, eas ſolito maiores extitiſſe. Etiam CULLENO **) probabile videtur, glandulas meſenterii, licet tumidae ſint, tamen non penitus eſſe obſtructas, ſeque aliquot caſus vidiſſe refert, ubi, licet pleraeque meſenterii glandulae valde tumerent, chyli tamen lymphaeque ad ſanguinem tranſitus non impediebatur. Cel. BLUMENBACH †) evictum eſſe, affirmat, glandularum meſaraicarum affectiones, intumeſcentias &c. male obſtructionum nomine vulgo venire, cum ſatis plerumque perviae maneant, & argento vivo facilem aditum & tranſitum concedant. — Hinc explicari poteſt, cur pueri, crebris licet ſcrofulis & tumidis quoque (ſignificante duro abdomine) glandulis meſenterii laborent, nullum tamen conſpicuum nutritionis corporis decrementum patiantur. Glandulae quippe durae licet atque tumidae diu tamen adhuc humorem transmittunt, antequam penitus obſtruantur. Fatendum interim, crebras vaſorum lacteo-

*) L. IV. ep. 50.
**) Firſt lines T. IV. §. 1603.
†) Inſtit. phyſiol. §. 431.

lacteorum anaſtomoſes egregie quoque cavere, quo minus omnis chyli tranſitus prohibeatur.

§. 16.

Matura animi perfectio. Addephagia. Salivae Colluvies.

6) Infantes ſcrofuloſi *vivaci* plerumque *prae ſanis animo* gaudent & pro aetati, ratione *ingenioſi* exiſtunt, *iudicioſique*. Dixeris fere eam vis nerveae partem, quae ad univerſi corporis partes pertinebat & ad robur, vivacitatem debitamque nutritionem iis conciliandam deſtinata erat, cerebro quaſi mutuo dari. In vultu diſtincte expreſſa legitur matura iſta animi perfectio. Is enim prae ſe fert, neſcio quid ſingularis conſtantiae, prudentiae pro aetatis ratione maioris ac confidentiae in proprium iudicium; id quod intuitu melius cognoſci, quam exprimi verbis poteſt. Aliquid ſine dubio ad talem vultum confert ſupra (§. 14.) memorata ampliatio pupillae. Operationes chirurgicas, diriores licet, veluti aliquoties expertus ſum, pro infantilis ſenſilitati ratione mira cum conſtantia & patientia in ſemet ipſis inſtituere ſinunt pueri ſcrofuloſi. Quin vidi puellas, in quibus morbus ſcrofuloſus valde adoleverat, articulorum mala, lentam febrem &c. produxerat, de religionis capitibus aeternam vitam concernentibus enthuſiaſtico modo diſſerentes mortemque avide expetentes, quo cum Chriſto, ſalvatore ſuo, arctius coniungerentur.

Duplex interim ingenii praecocis ſtatus diſtinguendus eſt. Quippe in ſcrofula proprie dicta, ad atrophiam non inclinante, & in qua facies

facies roſea eſt atque colorata, prudentes quidem, ſed alacres, hilares, ingenioſi ſunt patientes, excipe, ſi inveterato malo articulorum fungi, morbi oſſium, hectica febris accedant. Ubi vero ſcroſula ſic dicta meſenterica, abdomine praetumido, facie pallida, corporis emaciatione & in atrophiam propenſione conſpicua adeſt; ibi vultus aliquid ſenilis & ſerii refert, moroſi, languidi, triſtes ſunt pueri, in iracundiam proclives, indignabundi, inprimis verſus veſperam, ſeria ſolummodo tractant, & non tam alacre ingenium, quam intelligentiae potius penetrantiam & acumen inſuetum oſtendunt; verbo, animi ſtatus ad eum accedit, quam in rhachiticis deprehendimus. Loquela ſimul prudens, ſeria, conſtans eſt, & ita comparata, ut in ſenes potius, quam infantes quadret. Nec raro tamen & ſtupidiores ſunt tales infantes.

Saepius mota quaeſtio eſt, cur infantes praecoci ingenio praematuraque intelligentia conſpicui, praematura etiam morte e medio tollantur; cuius rei cauſam equidem ex parte ſcrofuloſae cachexiae tribuerim, quae multiplici ratione valetudinem infantum labefactare valet.

Rhachiticorum infantum praecox intelligentia partim a macilentia nervoſi ſyſtematis ſenſilitatem ſubtilitatemque augente partim ab encephali volumine maiori a calvariae praeternaturali capacitate *) pen-

*) BENVENUTI (in philoſ. Transact. Vol. 68.) exemplum refert capitis in homine tricennario, cuius ſtatura vix ſeptenarii erat, inſignis magnitudinis, ita, ut ambitus calvariae aequaret, 37 pollices, homine ceterum ſano, qui *bonum ingenium optimamque memoriam* habebat.

pendente recte derivari videtur. In ſcrofula meſenterica vel cum rhachitide coniuncta eaedem forſan cauſae locum habent (cf. §. 13.) Sed & ſcrofuloſi nulla macie laborantes nec calvaria maiori inſtructi matura prudentia ſeſe commendant; quam tunc a tenera delicataque totius corporis ſtructura deduxeris, forſan etiam ſequenti ratione explicaveris. Chylus, liquor blandus, qui partes fovet nutrientes, gelatinoſas, ſpirituoſis ſubtilioribus exacte miſtas, nutrit ſine ſtimulo, in ſcrofuloſis vero ob infarctus glandularum meſenterii totiusque ſyſtematis lymphatici ſubtiliores tantum alimentorum partes a gelatina non ſatis temperatae ſanguinem intrant, atque nervoſum ſyſtema incitant, ſtimulant illiusque organa ſubtiliora quaſi reddunt.

Qui iuventute morbo noſtri affecti praecocem intelligentiam oſtenderunt, ſaepius adulti morbumque perpeſſi, doctrina & ingenio excellunt & ad literarum ſtudia prae aliis apti ſunt, (veluti & rhachitici, magni HALLERI exemplo;) hoc tamen non conſtanter ita evenit, quin interdum, quo magis adoleſcerent pueri, morbi veſtigiis ſenſim paulatimque exuti, eo fere ſtupidiores & hebetioris ingenii evaſiſſe, plus ſimplici vice obſervaverim.

7) Infantibus verſus tertium quartumve annum appetitus ciborum inſigniter augeri incipit, quod certe ſapienti naturae lege ita ſancitum eſt. Hoc enim praeprimis tempore robur corporis atque incrementum augentur, accedente quoque motu & exercitatione corporis fortiori. Quodſi vero hic appetitus alimentis craſſis, crudis, incongruis alibi enumerandis ſatietur & diſpoſitio ad ſcrofulas iam inhaereat corpori, cachexia ſcrofuloſa confirmatur

ulte-

ulterius, obſtruuntur glandulae meſenterii, canalis alimentaris ſaburra viſcida, acida, verminoſa obruitur, accedente interdum alvi fluxu. Inſigniter inde creſcit ciborum deſiderium, ad craſſa, ſolidiora, farinacea alimenta fertur, & in perpetuum mandendi edendique ſtimulum ſeu ſic dictam *addephagiam* tranſit. Etiam *tenelli* infantes a nimis frequenti atque incongrua alimenti adminiſtratione, poſtea taxanda, inprimis ſi diſpoſitio ad rhachiticos ſcrofuloſosque affectus ipſis innata fuerit, in addephagiam ſaepe incidunt, unde talis cachexiae evolutio mutuo promovetur. Quin ſaniſſimos quoque nec ad ſcrofuloſum vitium ex innata labe inclinantes infantes nimiam ciborum ſolidorum ingeſtionem (*das Verfüttern*) ad meſenterii obſtructionem tabemque ducere poſſe, experientia conſtat. Cf. v. g. Cl. THEDEN *neue Bemerkungen* Vol. I.

Addephagiam in ſcrofuloſis infantibus tantum non ſemper obviam tum inducunt, tum ſuſtinent cauſae plures. Acidum primis viis moleſtum ſitim delet, appetitum inſigniter auget. Irritatio & ſtimulus, quem vermes in inteſtinis ipſoque ventriculo excitant, famem perpetuam producit; vermes praeterea optimam chyli partem conſumunt. Videtur quoque liquor gaſtricus in noſtris aegris acrior & ad famem excitandam aptior eſſe, cum chyli ſufficiens copia per obſtructum meſenterium non tranſire & ſanguinem ex penuria recentis nutrimenti admiſti acrem temperare queat. Denique tranſitus alimentorum per primas vias (forſan propter nimiam earum irritabilitatem vividioremque hinc motum periſtalticum) in ſcrofuloſis & meſenterii infarctu laborantibus celerior eſſe videtur ac in ſanis, cum illi ſae-

 pius

pius diarrhoea, Coeliaca, Lienteria vexentur? Forſan & GAUBII *) effatum, imaginationem mobilem, ſenſibilitatem, nimiamque irritabilitatem in iunioribus ad bulimum efficiendum concurrere, in rem noſtram hic vertere poſſumus.

Digeſtionem debilitatam cum bono ventriculo inter diatheſeos ſcrofuloſae ſigna refert Cl. SELLE **). Cuius effati ſenſum rationemque equidem non intelligo, niſi *bonus ventriculus* idem deſignat, quod addephagia. Appetunt quidem, ſed non digerunt cibos ſcrofuloſi. Utique ex vehementi deſiderio ciborum crudorum, craſſorum, farinaceorum, & pauca vel nulla moleſtia ex iis copioſe ingeſtis conſequente, quis concluderet, ventriculi robur ſatis validum vireſque concoctrices efficaces eſſe, cum tamen ſaburra omnimoda canalem alimentarem obruens, infarctum turgidumque abdomen &c. abunde doceant, *digeſtionem eſſe debilitatam.*

8) *Salivae copioſus in os confluxus* ſ. colluvies crebro in ſcrofuloſis, infantibus praeſertim & iunioribus (aeque ac in rhachiticis, teſtante LE VACHER) occurrit; ibi praecipue ubi meſenterium totumque abdomen prae aliis partibus affecta ſunt. Videamus paucis, undenam hoc ſymptoma producatur. Conſtat ab irritamentis primas vias mordentibus & titillantibus largum non raro ſalivae profluvium excitari. In medicorum monumentis frequenter obſervatae leguntur febres, praeſertim biliosae, gaſtricae, etiam epidemicae, quas

---

*) inſtit. pathol. §. 788.

**) Med. clin. p. 226.

quas comitabatur ſalivae proluvies *). In vulgus notum eſt, ſalivam copioſe affluere in nauſea, idque inter ſocia ſigna inſtantem vomitum indicare. Inter vermium ſigna dudum retulere ſalivalem laticem ſubito os inundantem. Fame ventriculum mordente ſalivant homines & ſ. p.

Dicta ſatis confirmant, irritamenta cuiuscunque generis in ventriculo & inteſtinis hoſpitantia ptyalismum ciere poſſe. In ſcrofuloſis vero eorum plurima ſaepius enumerata adſunt, unde iſtud ſymptoma explicari poteſt, quod varii ſolis vermibus una praeſentibus tribuiſſe videntur. — An & defectus reſorbtionis ſalivae in ore, vel obſtructio aut compreſſio pancreatis & regurgitans inde ſalivalis humor ad glandulas maxillares hic in cenſum veniunt?

§. 17.

Alia quaedam ſymptomata.

Acrimonia in morbo ſcrofuloſo lymphae inhaerens ſeſe manifeſtat defluxionibus, eroſionibus, ulcerationibus variis. Solemnes quippe ſunt ophthalmiae, lippitudines, aurium fluxus, morbi cutanei, inprimis ſcabies capitis; (achores, favus, tinea &c.) exanthemata herpetica crebriora a Cl. SELLE **) ad potiora dyſcraſiae ſcrofuloſae indicia

*) Videſis Cl. FRITZE *Med. Annal.* p. 255. MEDICUS *Samml. von Beobacht.* T. II. p. 366. VEIRAC in *Samml. für Aerzte* Vol. V. p. 479. DE MAN in Verhandelingen te Haarlem. XIX Deel, St. 3. p. 76.

**) l. c.

cia referuntur, & b. STOLL *) monet, ſub forma herpetis ſubinde deliteſcere ſcrofuloſum virus, ita ut cum ſcrofulis herpes alternet, aut uterque morbus ſimul adſit. — Saepe quoque hyeme inprimis ſeſe iungit cutis quaedam aſperitudo **). Humoris acris e naribus ſtillicidium, labri eroſio, glandularum exulceratio &c. itidem acrimoniam involvunt.

Dn. BORDEU †) in *incolis montium ſcrofuloſis gingivas contractas & induratas* deprehendit, ita ut dentes ipſorum elongati appareant. Non repugno hancce obſervationem in incolis montium ſtruma iuguli endemia affectis veritati forſan conformem eſſe. In ſcrofulis vero nullam plerumque gingivarum mutationem occurrere, audacter affirmo, cum plurium ſcrofuloſorum gingivas curate examinarim. Quod quidem idcirco notare viſum fuit, quoniam varii Auctores dictam gingivarum conſtitutionem inter ſigna cachexiae ſcrofuloſae retulere ††). — Triplici interim in caſu gingivae ſcrofuloſorum quandoque afficiuntur, nempe 1) verminoſa colluvie primas vias obruente; quippe gingivae facile vitiantur, corrumpuntur, extenuantur in iis, qui vermibus inteſtinalibus ſcatent, licet ſcorbuti veſtigium nullum referant; carnem earum fere depaſtam ex hac cauſa obſervarunt HIL-

---

*) Prael. in morb. chron. p. 45.

**) WHITE d. l. p. 68. 69

†) Prix de l'ac. de ch. l. c. p. 68.

††) v. c. T. G. SCHROEDER Tr. de pleumonide. Gotting. 1779. p. 47. C. F. DANIEL in ſyſt. aegritud. qui omnia ad ſtrumas iuguli & veras ſcrofulas pertinentia miſcuit, TOETTELMANNI diſſertationem in epitomen redigendo.

HILDANUS *) atque VAN DEN BOSCH **). 2) In atrophia etiam gingivae tabidae fiunt denteſque apparent elongati, nec in morbo ſcrofuloſo gingivae ſunt pallidae, corrugatae, inaequales †), niſi in tabem tranſierit. 3) Scorbuticum vitium cum ſcrofuloſo complicatum (quod in quibusdam Weſtphaliae regionibus apud pauperculos haud rarum eſt) gingivas etiam corrumpit.

Dentes in plerisque ſcrofuloſis, praeſertim in prima morbi varietate a nobismet §. ſq. deſcribenda ſaniſſimi albique ſunt, nec raro per totam vitam tales perſiſtunt. In ſcrofula vero meſenterica in atrophiam deſinente vel cum rhachitico vitio ſociata dentes vitiantur, fragiles, carioſi, nigri evadunt.

Conſtitutio corporis *debilis & laxa*, generationi ſcrofuloſi vitii favens (§. 13.) hoc in corpore exorto & confirmato in dies augetur, nec inter habitus ſcrofuloſi ſigna, quae effectus mali reputanda ſunt, debet omitti. Inprimis defectus nutrimenti ab impedito chyli commeatu ad debilitatem augendam confert.

Ubi venter valde tumet, non poteſt non a diaphragmate ſurſum truſo *reſpiratio brevis* fieri ac *moleſta*, inſuper cum pulmones ſcrofuloſorum copioſa obſideant tubercula, & pituita, qua eorum corpus ubique ſcatet, pulmones quoque irruat. Accedit, quod muſculi thoracis in confirmato in atrophiam mutato malo exaridi ac valde infirmati ſint, in atrophicis etiam hydrops pectoris non

 raro

*) Cent. I. obſ. 59.
**) Conſtit. ep. vermin. p. 135.
†) BERTRANDI l. c. p. 361.

raro ſe aſſociet. Praeterea glandula thyroidea valde tumens *) vel maiores ad collum cryſtici tumores reſpirationem, quin & deglutitionem difficilem reddunt. — Recte hinc KLEINIUS **): *Strumoſi aſthmate ſcirrhoſo vel pituitoſo communiter quoque laborant;* & MORTONUS ***): *Anguſtia & oppreſſio pectoris, cum continua fere reſpiratione aliquantum difficili & anheloſa coniuncta ſcrofuloſis ob tumorem glandularum pulmonalium familiaris eſt.* IDEM †) refert, matutinam & diuturnam phlegmatis nigri & viſcoſi excretionem, quae procedit a glandulis in pulmonibus iuxta trachaeam poſitis, humore nigricante repletis, ſymptoma eſſe ſcrofuloſis familiare; — tunc nempe, ſi in phthiſin tuberculoſam inclinant. — Generatim tuſſi pituitoſa ſaepe laborant ſcrofuloſi pueri.

Pulſus parvus & mollis eſt, ſaepe, inprimis aliqua ſebrium poſtea (§. 21.) enumerandarum accedente, iuſto celerior.

Salacitatem inſignem in iis, quorum abdomen ſaburra viſcerumque infarctibus ſcatet, v. c. in hypochondriacis, conſuetum ſymptoma eſſe, conſtat; inprimis tunc, ſi ſtagnantes humores blandam naturam amittunt & irritantem acrimoniam concipiunt. Sic quoque KAEMPFIUS ††) obſervavit, eos potiſſimum infantes, quorum glandulae meſentericae obſtructae, lymphaque corrupta, depravata, acris eſt, ad vitium Onaniticum

*) THEDEN *neue Bemerk.* I. p. 166.

**) Interpr. clin. p. 263.

***) Phthiſiol. p. m. 30. 31.

†) l. c. p. 30.

††) *Abhandl. von einer neuen Methode* p. 81.

ticum inclinare, ſeque inde a viginti annis, teſtatur, plures infantes, medela contra obſtructiones meſenterii directa, ab hoc vitio liberaſſe; hinc in ſuſpicione huius vitii apud infantes inprimis attendere iubet, an extrinſecus glandulae tumidae ſcrofulaeque conſpiciantur *). Refert quoque **) inter ſigna latentis atrophiae meſentericae pollutiones involuntarias, maturioremque ad venerem pruritum. Cl. FIELITZ †) in tenellis adeo, quin ne annuis infantibus aliquid Onaniae ſimile obſervavit; ſed plerique rhachitici morbi (cuius, quoad meſenterii infarctus ſaburramque primarum viarum cum ſcrofuloſo eadem ratio eſt) veſtigia referebant. — Permultos, indelebili ardore veneri ſolitariae litantes pueros cachexia ſcrofuloſa laborare, me ipſum experientia docuit. Cuius quidem ſcrofulae, inprimis meſentericae, ſymptomatis rationem in eo quaeras, quod humores ab infarctibus abdominalibus impediti copioſius ad liberiora genitalia ferantur, ſymbolam afferentibus irritamentis in viſceribus imi ventris & lymphaticorum humorum corruptione & quadam acrimonia.

§. 18.

Duplex forma praecipua, qua ſeſe oſtendere ſolet vitium ſcrofuloſum, leviter adumbratur.

Antequam in recenſendis & dilucidandis ſcrofularum ſymptomatibus ulterius progrediamur, binas

*) l. c. p. 82.
**) l. c. p. 166.
†) in Ill. BALDINGER *N. Mag. f. Aerzte* Vol. IX. P. 2. p. 165.

binas praecipuas earum varietates, quarum in praecedentibus paſſim mentio iam iniecta, probe a ſe invicem diſtinguendas deſcribere placet. Omnia quidem docent, utriusque varietatis cauſam efficientem unius eiusdemque vel ſimilis ſaltem indolis eſſe, attamen practica utilitas diſtinctionem imperat. In utraque viſcidi infarctus, totius corporis infirmitas & acrimoniae cuiusdam haud obſcura indicia occurrunt, in priori vero acrimonia, in altera viſcidum, pituitoſum, tenax, glandulas inprimis abdominales infarciens una cum laxitate ſolidorum praedominari videtur.

1) Pueri, prima varietate, quam *ſcrofulam proprie dictam* (*ſ. vulgaris* SAUVAG. ſp. 1. *Les ecrouelles proprement dites*) vocabimus, & de qua ſola praecipit CULLEN.*), laborantes, pulchri plerumque ſunt, plena colorata facie, genis roſeis, oculis magnis, claris, vividis, (quamdiu nempe abeſt ophthalmia) utplurimum coeruleis, pupilla ampliata quidem, raro tamen tam inſigniter, ac in altera varietate dilatata, pulchrisque capillis gaudent. Laxus quidem & imbecillis eſt totius corporis habitus, ſed nulla macies apparet, plenum potius & ſucculentum eſt corpus, cutisque glaberrima. Intellectu & iudicio pro aetatis ratione valent quidem pueri, animus tamen hilaris, vividus, iucundus eſt, minime triſtis. Abdomen vix valde turget, licet non omnis durities & phyſconia deſit & meſenterii glandulae haud intactae maneant. Nec digeſtio multum vitiata videtur, ſaburraque & vermibus haud adeo obruuntur

*) *Anfangsgründe* Vol. IV. p. 190 ſq.

untur primae viae. Habitus ſcroſuloſus faciei, praecipue labrum ſuperius tumidum, craſſior naſus, narium & labrorum excoriatio, diſtincte conſpicitur, urgetque haud raro ophthalmia. Externi glandularum, inprimis colli, tumores, frequentiores ſunt, ſaepe concatenati, facile inflammantur atque exulcerantur, ulceribusque in uno loco conſolidatis, in alio vicino utplurimum, ſimilia recrudeſcunt. Cicatrices hinc collum defoedant. — Haec praeprimis varietas, in qua materies ſcroſuloſa maxime maturata, & ad ſummum, ſit venia verbo, ſpecificitatis gradum exaltata eſſe videtur, haereditario modo propagatur, vixque ſolis cauſis occaſionalibus ad illam producendam ſatis ineſt facultatis. Raro ante tertium quartumve annum oritur. Etiam melioris conditionis homines vexat, cum altera ſpecies in ſolos fere pauperes & plebeios cadat. Non adeo ſegnes ac phlegmatici, ſed ſanguinei potius temperamenti ſatisque alacres ſunt pueri. Raro pereunt atrophici. Alii e contra affectus ſcroſuloſi ſecundarii, v. c. tumores albi articulorum, ſpina ventoſa, ulcera, ophthalmiae aliaque oculorum mala, phthiſis pulmonalis &c. ſub hac vitii forma utplurimum ſe oſtendunt.

2) Altera praecipua forma, qua ſe nobis offert vitium ſcroſuloſum, quamque ob meſenterii glandulas praeprimis affectas ſcroſulam *meſentericam* (quorſum pertinent *la Chartre*, *enfans en Chartre* Gallorum) commode dicere poſſumus, ſequens fere eſt. Habitus faciei cachecticus & pallidus, tumidulus, ceterum plerumque dyſcraſiae ſcroſuloſae indicia prae ſe ferens. Oculi nitore orbati, languidi, lacrymoſi, praecipue malo ad magnum

gradum provecto *). Triſtes, moroſi, ſegnes ſunt infantes, rerum, quas alias in deliciis habere ſolebant, pertaeſi, indignabundi. Prae matura prudentia ſeria amans nec vivaci ingenio ſe oſtendens; in aliis caſibus ſtupiditas. Tumeſcentiae colli interdum nullae, ſemper pauciores, quam in priori varietate, frigidiſſimae, ad inflammationem & exulcerationem vix unquam inclinantes. Meſentericae inprimis glandulae affectae ſunt, venterque plurimum turget. Rhachitis imperfecta non raro cum hac ſcrofulae varietate coincidit aut in illam tranſit, quare & capitis magnitudo inſueta hic potiſſimum cernitur. (§. 13.) Pectus & extremitates ipſaque interdum facies emaciantur. Flaccida cutis eſt, totumque corpus infirmum, laxum. Dolores artuum vagi quandoque excruciant. Vitiata digeſtio, addephagia intercedente tamen haud raro ad cibos nauſea. Colluvies primarum viarum omnimoda, pituitoſa praeſertim, acida, verminoſa. Foeces alvinae ab acido in primis viis hoſpitante & bilis inertia albidae, male miſtae, inſolitum foetorem exhalantes; progrediente malo deiectio frequens foetidiſſima. In atrophiam & phthiſin meſentericam tranſitus facilior & in ultimo morbi ſtadio oedema pedum, manuum, mortis praenuncium. — Iuniori, ac praecedens, aetate, ſcrofula meſenterica affligere inci-

*) Falſo PETITUS (*Krankheiten der Knochen* T. II. p. 327.) & b. MERK (diſſ. de curat. ulcer. difficil. Gott. 1776. §. IX. p. 8.) vultum pallidum, oculos ſqualentes, lacrymantes, moribundos inter ſcrofuloſae cacochymiae indicia ponunt, cum fere ſolum ad alteram, raro ad priorem mali varietatem pertineant haecce ſigna.

incipit, circa ſecundum iam annum & maturius, (quod inde deduxeris, quoniam, quo iunior aetas, eo debiliori vi expulſiva inſtruantur viſcera abdominalia,) invaditque potiſſimum pauperculos & plebeios infantes, victu pravo utentes. Sunt, obſervante SAUVAGES *), familiae, quarum proles maſcula optime valet, feminea vero hac ſcrofula laborat. — Humorum viſcida, vappida, pituitoſa conſtitutio, ſolidorum laxitas, ad frigidos infarctus propenſio inſignis ex omnibus apparent phaenomenis; acrimoniae vero ſymptomata non adeo efferuntur, quare & vix unquam glandulae colli exulcerantur.

Brevi hacce ſciagraphia binas quaſi extremitates formae duplicis, qua ſcrofuloſus morbus ſe oſtendere conſuevit, ſiſtere anniſus ſum. Extremitates inquam, cum in plerisque caſibus utriusque formae ſymptomata inter ſe miſceantur, ita tamen utplurimum, ut vel ad priorem vel ad alteram varietatem morbus magis inclinet; mox proinde ad acrimoniam debellandam, eliminandam, mox ad tenacia, obſtructa ſolvenda, (non neglecta in utroque caſu ſolidorum confortatione) praecipua & potior medentis attentio directa eſſe debeat. SAUVAGESIUS ſcrofulam meſentericam (ſp. 4.) tanquam peculiarem ſpeciem conſiderat & a vulgari (ſp. 1.) prorſus differre autumat. Variae vero rationes utramque ſcrofulam pro meris unius eiusdemque mali varietatibus habere iubent. Novi familias plures, quibus haereditarium vitium eſt, quarumque progenies eodem victu vitaeque genere utens partim ſcrofula proprie dicta, par-

*) Noſol. T. III. P. 2. p. 413.

partim meſenterica affligitur, manifeſto indicio; unum idemque vitium ſubeſſe in utroque malo, in diverſas ſolummodo partes praecipue directum & propter accidentales cauſas variante habitu incedens. Porro utriusque formae ſymptomata haud raro inter ſe mixta ſunt aequaliter. Quot enim v. g. aegrotantes colli tumoribus, exulceratis quoque, facie colorata omnibusque cachexiae ſcrofuloſae ſignis inſtructa incedentes abdomen ſimul inſigniter tumens prae ſe ferunt, tandemque atrophici, extenuati, glandulis meſenterii obſtructis, exulceratis pereunt! — In eo fere vero meſentericam ſcrofulam a vulgari eſſentialiter diſcrepare dixeris, quod in priori vitium ſcrofuloſum non ſemper in omnibus ſuis characteribus declaratum nec materies morbi in eum ſpecificae indolis gradum evecta ſit, ac in poſteriori, eam quidem ob cauſam, quoniam haec iuniori aetate affligat, tum quoque ſaepe exoriatur mero cauſarum occaſionalium effectu non niſi infantili laxitate praediſponente, absque labe ſpecifica ex haereditate innata; quo in caſu infarctu potius pituitoſo, viſcido glandularum meſenterii, quam ſcrofulis veris infantes laborare putaveris. Hinc & in affectibus vix a ſcrofula meſenterica diſcrepantibus *) diſtincta cachexiae ſcrofuloſae ſigna ſaepe deſiderantur. Sic SAUVAGES **) tabem meſentericam a glandulis meſenterii ſcirrhoſis tantum vel ſimul ſuppuratis in infantibus, praeſertim ſeptennibus ex ſcortis natis ſaepe vidit, absque ullis aliis ſcrofulae ſignis; — quae & in atrophia infan-

*) CULLEN l. c. p. 68.

**) l. c. p. 263.

infantum, praeſertim iuniorum ante ſecundum aetatis annum, plerumque prorſus deſunt. Quin anno adhuc decimo quarto atrophiam vidit CULLENUS *), licet neque ſimul, neque antea ulla ſcrofularum ſigna externa adeſſent. IDEM **) innuit, obſtructionem glandularum meſenterii utplurimum quidem ab acrimonia ſcrofuloſa natales ducere, nec tamen minus ab aliis acrimoniarum generibus produci poſſe; quod equidem negare minime auſim, cum etiam externae glandulae, veluti infra oſtendam, ab innumeris praeter ſcrofuloſam cauſis obſtrui ac tumefieri ſoleant. Attamen glandularum meſenterii obſtructiones apud *infantes* puerosque tabe meſenterica, ſcrofula meſenterica, atrophia &c. laborantes vix non ſemper ad ſcrofulas referendas crediderim, pro materiei autem infarcientis natura bifariam diſtinguendas eſſe exiſtimarim. Eſt nempe haec materies *vel* vere ſcrofuloſa, maturior, *vel* immatura. Illa occurrit in ſcrofula meſenterica aliaque infantum, qui tertium iam quartumve annum attigere; quibusque vitium ſcrofuloſum ex haereditate innatum eſt; haec vero in meſenterii affectionibus atque atrophia tenellorum ante ſecundum tertiumve annum, vel eorum, quibus nulla ad ſcrofulas haereditaria diſpoſitio connata fuit. — Ex iam propoſitis explicari poteſt 1) quare in ſcrofula meſenterica ſaepe nulli glandularum externarum, nominatim colli, tumores? Materies enim morbi fere ſolum in abdomine figitur, vel ob iuniorem aetatem, qua viſcerum imi ventris vis expultrix imbe-

---

*) l. c. p. 69.
**) l. c.

imbecillis eſt, vel ob peculiarem ſyſtematis chy-lopoetici infirmitatem in paulo adultioribus; 2) quamobrem in ſcrofula meſenterica obſcura ſaepe vel nulla cachexiae ſcrofuloſae ſigna? Quippe ad habitum ſcrofuloſum requiritur cachexia, ex haereditariae diſpoſitionis (quam in ſcrofula meſenterica ſaepe abeſſe, paulo ante diximus) atque adultioris aetatis adiumento perfectionis quendam atque maturitatis gradum adepta. Praeterea, quo labrum tumeat, naſus craſſeſcat &c. neceſſaria videtur validior materiae viſcidae ex imo ventre ad ſuperiora expulſio, quam paulo demum adultiori aetate fieri innuimus; unde & perſpicitur 3) cur pueri, qui prima iuventute meſenterii infarctibus cum abdomine tumido corporisque macie laborabant, absque tamen ſcrofulis externis, ſi mala haec augeſcente corporis robore vel naturae validitate, vel congrui regiminis aptaeque medicationis adminiſtratione vincantur, interdum poſt quartum quintumve annum ſcrofulis veris atque declaratis corripiantur. Materies quippe ſcrofuloſa antea in abdomine haerens ſenſim expellitur ad externas glandulas, ibique creſcente cum aetate corporis robore & in actum ducta haereditaria diſpoſitione magis maturata veras ſcrofulas conſtituit. Simili etiam ratione rhachitici morbi in ſcrofulas tranſitum, haud profecto rarum, explicaverim, cum rhachitidis atque ſcrofulae analogiam plurima momenta infra ponderanda confirment. — Ceterum cf. omnino §. 8.

§. 19.

De atrophia infantum.

Commodiſſimus hic locus erit, atrophiam infantum paucis deſcribendi, cum illa vel in tenella

nella aetate ex glandularum meſenterii obſtructione ſcrofulae meſentericae valde analoga oriatur, vel ipſius ſcrofulae meſentericae declaratae atque confirmatae ſequela exiſtat. Non tamen in infantibus ſolum, ſed & nonnunquam in adultis idem morbus obſervatur.

Atrophici infantis facies colorem pallidum & in progreſſu mali luridum nigricantem prae ſe fert, flaccida eſt & marceſcens. Habitus totius corporis externus extenuatur atque contabeſcit, praeter abdomen, in quo vel viſibiliter tumor externe apparet vel tactu detegi poteſt durities cum intumeſcentia inprimis in regione umbilici. Saepe etiam nodi paſſim tactu diſtinguuntur. Senſum ponderis in imo ventre torminaque frequentia, laeſae digeſtionis & vermium atrophiae fidelium pediſſequorum ſigna, conqueruntur infantes. Concoctio difficulter & inordinate procedit, viſcida, acida, corrupta ſaburra primas vias obruit, aliquando voracitas urget praeſertim ciborum craſſorum, farinaceorum, item appetentia alienorum, praeſertim terreorum; aliquando e contra appetitus prorſus deficit. Comitem ſaepius ſe adiungit alvi fluxus mucoſus, chyloſus, dum nempe materia fluida albeſcens (veroſimiliter chylus, qui a venis lacteis obſtructis reſorberi nequit) foecibus permiſta alvo excernitur; in progreſſu mali diarrhoea foetidiſſima. Alio tempore alvus ſtrictior eſt, in genere inordinata. Laſſitudo, animi deiectio, moroſitas, ad iram proclivitas veſperi magis conſpicua, ſitis nocturna ieiuna, teneſmi alvi & urinae, ſudatio nocturna. Neque raro excruciat anxietas & cordis palpitatio, quae ex circuitu ſanguinis in abdomine impedito ob viſcerum infarctus derivanda, quare ſanguis magis ad ſuperio-

ra

ra aſcendit; unde quoque fit, ut facies alias in atrophicis pallida, livida, decolor, interdum prae rubore tumida conſpiciatur. Cutis adeo flaccida eſt, ut in ampliſſimas plicas ſe extendi patiatur, pinguedo omnis, praeſertim quae inter muſculorum lacertos deponi ſolet, ita conſumta eſt, ut primo intuitu putaret quispiam, nullum muſculum ſupereſſe, ſed meris oſſibus cutim eſſe ſuperinductam, cum tamen muſculorum, licet valde extenuatorum praeſentiam motus ſuperſtes doceat. Haec conſumtio inprimis in glutaeis muſculis apparet, qui nunc non prominent, ut in natibus formandis ſolent, ſed potius cavitatem faciunt iuxta oſſium pelvis excavationem, quaſi ſceleton eſſet. Cutis talium infantum plerumque ſqualida, ſordibus foeda eſt, nam propter ſanguinei circuli debilitatem colliguntur in poris tenaciores humores. Cerebri officium ſalvum manere ſolet, quinimo augeri pro aetatis ratione, ingenium & iudicium acui; ſenſibusque maxime vigent.

Sectiones atrophicorum, viſcera omnia infarcta, inprimis hepar & lien tumidum, glandulas obſtructas, tumefactas, depravatas, exulceratas exhibuere; item aſcitem & hydrothoracem, aquis vel in fine morbi vel in agone vel ſtatim a morte effuſis; epiploon liquefacto adipe fuſum. In inteſtinis flatu diſtentis reperitur amurca nigra. Praeterea in celluloſa tela inteſtinorum, praeſertim etiam in ea ampla celluloſitate, quae ſub peritonaeo in pelvi circa veſicam & partes genitales internas eſt, collectio copioſa muci tenacis, ſaepe virideſcentis ad pondus plurium librarum aſcendentis inventa fuit. Haec moles mucoſa inteſtina ad ſuperiora & verſus diaphragma propellit, ut tumor talis infantis fere cum tumore gravidae feminae

minae comparari queat. In toto reliquo habitu & circa viſcera ne granum pinguedinis reperitur. Unde infantilis huius atrophiae cauſa proxima videtur in meſenterii vitio haerere, per quod chylus tranſire impeditur, cuius particulae per poros membranarum ſucceſſive tranſpirantes in mucum denſantur, reliqua corporis organa autem chylo & nutrimento privantur, quia chylus vaſa lactea obſtructa penetrare, & ad partes corporis transferri nequit. Forſan etiam cum STOLLIO *) ad maciem in atrophia explicandam reſpiciendum eſt ad virus ſcrofuloſum humoribus miſtum eorundemque vim plaſticam nutrientem deſtruens.

„Atrophici, ait KAEMPFIUS **), ob chylum non ſatis elaboratum, aceſcentem, nutritionem mancam, inaequalem, impuram, laxitatem &c. increſcentem, innumeris pathematibus obnoxii ſunt, inter quae ſaepius obveniunt rhachitis, paſſio coeliaca, urinae incontinentia, procidentia ani; cutis defoedationes, lippitudines, pruritus veneris, pollutio nocturna, gonorrhoea, affectus arthritici, calculoſi, ſpasmodico-convulſivi, incubus, noctambulatio, deglutitio impedita, haemorrhagiae, infarctus vaſorum ſanguinis, phthiſis pulmonalis, febres intermittentes, anomalae, lentae, hecticae, ex glandularum meſenterii exulceratione natae.“

Inter peculiaria atrophiae ſymptomata hic paulo ſpecialius deſcribenda pertinent ſimulacra vermiculorum *Crinones* ſ. *Comedones* dicta, infantibus

*) morb. chron. p. 46.

**) enchirid. med. p. 224.

tibus atrophicis atque rhachiticis in variis corporis partibus, in facie puta circa frontem, naſum, naſi radicem, circa ſpinam dorſi, nec non in aliis locis muſculoſis, humero, ſuris, cruribus &c. adeo familiaria & pruritum ſaepe inſignem excitantia. Horum naturam disquirentes, medici valde diſcrepantes ſententias protulerunt. Mox aſſeruere, crinones eſſe vera acaris ſimilia animalcula viva ſubcutanea, qualia microſcopio magnitudine aucta & imaginatione mutata forma delineari curavit ETTMüLLERUS *); mox degenerationes pilorum in parvulos abſceſſus mutatorum; mox adeo **) eminentes minimos nervorum apices. Antiquiores medici pro cauſa atrophiae habuerunt putatitios hoſce vermes, & nomen comedonum impoſuere, quaſi de nutrimento corporis participent. Extra dubium vero nunc poſitum eſt, eſſe neque cauſam atrophiae, neque vermiculos. Sunt potius nihil aliud, quam inſpiſſatus atque glutinoſus humor excrementitius in ſebaceis cutis glandulis congeſtus, atque accedente lotione & fricatione expreſſus †). Mucoſae talis maſſulae pars oſtiolum folliculi implens, aereque nigreſcens vermiculum mentitur exilem, quum preſſo inter digitos folliculo extorquetur, nigricante punctulo hinc in apice ornata, quod pro vermiculi capitulo imponit. Maximam partem in aqua ſolubilis eſt mucoſa haec quaſi pinguicula ſubſtantia ††). Viſci-

---

*) In Act. Erud. Lipſ. 1682. p. 316. Tab. XVII.

**) I. B. de FISCHER de febre miliari. Rigae 1767. p. 1. ſq. qui tamen exanthemata cutanea varia infantum cum crinonibus confundere videtur.

†) VOGEL praelect. §. 728.

††) Cl. ACKERMANN in Ill. BALDINGER N. Mag. Vol. III. P. 4.

Viſcidi interdum ſudores in atrophicis oriuntur, ſtagnatque in cute eorum tenax humor, qui, inprimis ſi immundities, uti in pauperculis, accedat, nec crebra lotione corpus mundetur, in criniones concreſcit.

De aliis ſymptomatibus atrophiae cum ſcrofula, inprimis meſenterica communibus enucleatius partim iam egimus, partim adhuc agamus.

Subiungenda quaedam ſunt de *phthiſi* ſ. *tabe meſenterica* ſ. *hectica meſaraica* *), quae glandularum meſenterii ſuppuratione febrem tabificam mortemque inducente continetur. Eſt plerumque ſequela ſcrofulae meſentericae confirmatae, raroque pereunt atrophici, quin antea plures glandularum meſenterii in exulcerationem abierint; hinc in fine atrophici morbi duplex tabis cauſa, commeatus chyli impeditus atque glandularum ſuppuratio. Minime vero ſemper tanta glandularum obſtructarum copia in phthiſi meſenterica adeſt, ut iam ante earum exulcerationem emaciatio corporis atque hectica febris a privatione nutrimenti oriatur, ſed & pauciores glandulae meſenterii ſuppuratae phthiſin inducere poſſunt absque praecedente vel concomitante atrophia; hinc & ſcrofula proprie dicta (§. pr.) phthiſi meſentericae interdum originem praebet. Phthiſi pulmonali ſcrofuloſa extinctorum cadavera plerumque etiam plures meſenterii glandulas ſuppuratas exhibent.

*) A. E. BüCHNER reſp. HEBENSTREIT diſſ. de ſuppur. glandul. meſenter. recuſ. in collect. Hallerian. BONETI Sepulchr. I. p. 745. 746. Hiſt. morb. Vratiſl. p. 217. RUSSELL de tabe glandul. p. 14.

Diagnoſis difficillima eſt. Tubercula enim meſenterii ſenſum exiguum habent, hinc ſi inflammantur & exulcerantur, haud valde dolent, ut itaque dolor acutus & ardor, perpetui alias inflammationum internarum comites fere abſint *). Praeterea hae partes ſitum profundiorem habent, nec ſatis diſtingui poteſt, an dolor a glandulis in inflammatione & ſuppuratione conſtitutis proveniat vel in inteſtinis, (cum tormina noſtris aegris valde ſint frequentia) ſedem habeat. Neque hectica febris ſufficientem notam praebet, cum & absque exulceratione ſola multarum meſenterii glandularum induratio indeque profecta atrophia lentam ſibi febrem haud raro adſciſcat. — Sed & parum refert, cum certitudine cognoviſſe meſenterii ſuppurationem, cum malum ſit prorſus fere inſanabile, inprimis cum pus facile in cavum abdominis effundatur **). Interim diagnoſi inſerviunt praeter febrem continuam hecticam, dolor aliquis gravativus conſtans & *fixus* (cum dolor in inteſtinis errabundus & tranſitorius ſit) in intimo abdomine perceptus, alvi fluor crebrior purulentam vel ſanioſam materiam cum inteſtinorum dolore & ardore excernens, iuncta ſaepe urina purulenta, ſputo purulento ſalvo pulmone &c. †). Simul conſiderandum eſt, an glandulis meſenterii induratis, abdominisque tumore intento diu iam laboraverint pueri. Saepius & mihi viſum in infantibus meſenterio vitiato laborantibus ſuppuratas eſſe

*) HOFFMANN med. ſyſt. T. IV. P. I. p. 559.

**) SELLE med. clin. p. 321.

†) Cf. HOFFMANN l. c. l. p. 560. 580. Obſ. 3. 583. Obſ. 5.

eſſe glandulas meſentericas, quando tumidum durumque abdomen paululum ſubſidebat, molliusque evadebat, diarrhoea ſimul praeſente alba.

§. 20.

De ſcrofula fugaci SAUVAG. nec non de ſtruma & ſcrofuſa WARTHONI.

SAUVAGESIUS in multiplicandis aegritudinum ſpeciebus valde liberalis, tanquam peculiarem ſpeciem notat *ſcrofulam fugacem* (ſp. 2.), cuius notae ſint, quod infantes cachecticos 3-5 annorum corripiat, quorum in collo glandulae paucae, maxillares praeſertim, ſed non concatenatae leviter tumeant aut indureſcant parumper; praecipue oriri a tinea repreſſa, fluxu aurium imminuto vel ſi infantes aeri frigido expoſiti fuerint. Illas glandulas identidem evaneſcere, mox reverti, nequaquam ſtipari tumore pallido latiorum aut genarum nec ophthalmia ſcrofuloſa, nec carie oſſium. — Eſt idem morbus, quem ſimplici *glandularum* nomine quidam, antiquiores praeſertim, commemorant, (§. 2.) quemque alii *glandulas puerorum colli tumefactas* nuncupant. SAUVAGESII deſcriptio experientiae omnino perfecte congruit, cum apud infantes talis morbus, praeſertim achoribus regreſſis vel repulſis frequenter occurrat. Aſt vero perſuaſus ſum, eum leviorem ſolummodo gradum, nec peculiarem ſpeciem vitii ſcrofuloſi dicendum eſſe, cum in veras ſcrofulas ſaepiſſime tranſeat, habitus ſcrofuloſus diſtincte utplurimum appareat eorundemque parentum proles non raro ex parte ſcrofula fugaci laboret, ex parte vero cum ſcrofula vulgari vel meſenterica declarata conflictetur. Praeterea quotidiana ſunt exem-

pla verae ſcrofulae a repreſſa capitis ſcabie inductae; infraque mihi occaſio erit oſtendendi, ſcabiem capitis atque ſcrofulas ab uno eodemque proficiſci viru. — Facile quoque ſolvi poterit SAUVAGESII dubium, an differat ſcrofula fugax a meſenterica? Omnino gradu differt tum a S. meſenterica tum a vulgari & in utramque transire illam poſſe, obſervationes abunde comprobant.

Notare adhuc iuvat, b. SAUVAGES quasdam WARTHONI appellationes tanquam ſynonima minus recte ſuis ſpeciebus appoſuiſſe, qui error eo facilior erat, cum WARTHON *) ſatis confuſe ſtrumarum varietates deſcripſerit. Ita minus recte *ſtrumam* Warthoni ut ſynonimon ſcrofulae fugacis adducit SAUVAGES. Characteres enim, quos WARTHONUS ſtrumae ſuae tribuit, in ſcrofulas generatim ſumtas apprime quadrant, ex parte vero ſcrofulae fugacis notis aperte contradicunt. Sic v. c. SAUVAGES innuit, nunquam huic ſcrofulae iungi ophthalmiam. Aſt WARTHON **) ait: „Frequenter etiam ſtrumae occurrunt in ciliis, quo caſu dolor, rubor & morſus ex materiae affluentis acrimonia coniunguntur & epiphora pertinaciſſima facile irritabilis & curatu perquam difficilis exoritur.“ Satis diſtincte ergo deſcribit Ophthalmiam ſcrofuloſam. Porro SAUVAGESIUS nunquam labrorum tumorem in ſcrofula fugaci eſſe aſſerit; WARTHONUS e contra affirmat, ſtrumas etiam nonnunquam occurrere in labiis. Reliquam WARTHONI deſcriptionem adducere ſuperſedeo, cum confuſa & hodie nullius uſus

---

*) Adenograph. cap. XL.

**) l. c. p. m. 259.

uſus ſit. Attente vero qui eam legerit, noſtras ſcrofulas ſtrumarum nomine ſubintelligi comperiet, quod ulterius confirmatur deſcriptione tumorum glandularium, quos *ſcrofulam* appellat WARTHONUS & a ſtruma ab ipſo dicta diſtinguit *). Errat vero iterum SAUVAGES, ſcrofulam Warthoni ſcrofulamque proprie dictam eundem morbum eſſe perhibens. Dicit enim WARTHON, ſcrofulas eſſe, quae Anglis *Wens* vocantur; (ſtrumam e contra eſſe *Kings-evil* Anglorum) *Wens* vero Anglis fere ſignificant glandulae thyroideae tumores (*Kröpfe*). Addit WARTHON, ſcrofulam perpetuo augeri & exemplum refert talis ad 30 librarum pondus accedentis; porro ſcrofulam eſſe ſtruma mobiliorem, minus profundam altiusque in tumorem attolli. Ex his aliisque ab Auctore adductis notis ſatis apparet, *ſcrofulam* Warthono dici fere ſtrumam iuguli vel maiores colli cyſticos tumores.

§. 21.

Febris varia ad ſcrofulas accedere ſolita.

Pergamus iam in enumerandis & perpendendis ſcrofularum ſymptomatibus, de febre illas quandoque comitante primo loco dicturi. CELSUS **) *ſtrumas interdum febres movere*, ait, indeque curationem difficiliorem reddi, innuit. Repetierunt hoc fere omnes, qui de ſcrofulis poſt CELSUM ſcripſerunt, experientia id omnino confirmante. Cuiusnam vero praeciſe generis febris ſit, pauci diſtinctius docent. — Id ſtatim in limine

*) l. c. p. 253.
**) L. V. Cap. 28. §. 7.

ne obſervandum, tunc tantummodo febre ſcrofuloſos corripi, ſi longum malum ſit & ad magnum gradum provectum, vel in ſecundarios morbos tranſierit. b. VOGELIUS *) ait: „Ubi longum malum eſt, in cachexiam tandem incidunt & *febris* quoque accedit per intervalla, quae *ephemera* aut *catarrhalis* aut *inflammatoria* tandemque *lenta* fit.“ In haec VOGELII breviter dicta paucis commentabor.

Ephemeram quandoque invadere ſcrofuloſos, intelligi facile poteſt ex irritamentorum per totum corpus diſperſorum & in primis praeſertim viis haerentium copia. Crudi craſſi cibi magno appetitu copioſe nimis ingeſti nec rite digeſti levem febriculam brevi evanidam concitare poſſunt, uti & tumorum, ulcerum irritatio & quaedam inflammatio, ab ingeſtis, externe applicatis &c. inducta. Haec interim febris vix notari meretur & a VOGELIO non niſi oſcitanter nominata eſſe videtur.

Catarrhalis. Mucum acrem tenuem e naribus copioſe effluere easque una cum labio ſuperiori leviter exulcerare, in ſcrofulis conſuetum eſt. Nec raro bronchiales atque pulmonum glandulae muco infarciuntur. Cogitemus porro catarrhum (qui nil eſt, niſi ſtagnatio humoris in vaſis ſeroſis atque lymphaticis & quo os, nares, fauces, pulmones occupante ſaepe glandulae ſalivales, lymphaticae colli, tonſillae intumeſcunt,) & ſcrofuloſam acrimoniam easdem fere partes infeſtare; — ſi omnia haec perpendamus, haud obſcurum videbitur, in ſcrofuloſis febrem oriri poſſe, characterem

*) Praelection. §. 715. p. 626.

cterem catarrhalem prae ſe ferentem. Praeterea, qui tuberculis pulmonum, inprimis ſcrofuloſis, laborant, crebris affectionibus catarrhoſis obnoxii ſunt; quorſum ſpectare videtur illud GRANTII *), qui iuventute ſcrofulis affecti anno decimo octavo, quod frequenter fit, inde convaluere, hos ad vigeſimum usque annum, periculoſis catarrhis valde eſſe obnoxios. — Obſervavi quoque, infantes, qui iam primis poſt nativitatem menſibus gravedine aut catarrho corripiuntur, tantum non ſemper poſtea ſcrofuloſis affectibus infeſtari, id quod nexum catarrhi cum dyſcraſia ſcrofuloſa magis adhuc confirmat.

Si plures glandularum tumores ſimul inflammantur, febricula ſaepe excitatur, quam ſub *inflammatoriae* nomine intelligere videtur VOGELIUS. Nusquam tamen ea vehemens eſt, cum inflammatio ſcrofularum lente procedat valdeque exiguum dolorem excitet. Suppuratis vero vel ſi mavis exulceratis tumoribus vel vitiatis adeo atque eroſis a ſcrofuloſa acrimonia ipſis oſſibus &c. non poteſt non a reſorbto in ſanguinis maſſam pure ſeu potius ichore *lenta* febricula accendi, corpus ſenſim, inprimis ſi ab internis glandulis exulceratis natales ducat, tabefaciens. Interdum & febrem lentam antecedit febris quaedam *ſuppuratoria*, faciem febris catarrhalis habens, quae ideo neque inflammatoria neque lenta ſtricte vocari poteſt, ſed inter has medium tenet. — Ceterum lenta febricula ex citatiori pulſu & laſſitudine inſolita cognoſcitur, fere continua eſt, exacerbatur tamen verſus veſperam, calorem levem, ſitim, ſudorem noctur-

*) *Beobacht. über die Fieber* p. 412.

nocturnum excitat ſomnumque reddit inquietum minusque reficientem. Poſt prandium quoque levis utplurimum exacerbatio ingruit calorque volans palmis manuum moleſtus eſt.

Sed aliud adhuc lentae febriculae genus, anomalum atque a priori diſtinguendum, ſcrofuloſis moleſtum eſſe ſolet, ſi nempe malum multum progreſſum eſt & cacochymia totum corpus deturpavit, licet pauci vel nulli tumores in exulcerationem tranſierint. Haec febris ſenſu proprio *hectica* (veluti prior *phthiſica*) vel ſi mavis cachectica dicenda tum ab infarctibus per totum corpus diſperſis, irritantibus, humorum circulum atque ſe- & excretiones turbantibus, nutritionem impedientibus depravantibus, tum ab acritate humoribus cunctis, praeſertim lymphaticis inhaerente natales ducit. Difficulter a priori febre lenta diſcernitur; inprimis, cum utriusque generis cauſae ſaepe conſpirent. Interim decurſus longe magis anomalus eſt; ſique ſigna ſuppurationis glandularum in viſceribus, meſenterio inprimis (§. 19.) atque pulmone deficiant, nec ſimul extrinſecus glandulae exulceratae ſint, ſaltem non ea copia, ut a reſorbto ichore febris accendi poſſe videatur, huius originem in aliis modo notatis cauſis quaeras. Praeterea in phthiſica febre longe magis contabeſcunt aegrotantes, cum anomala illa hectica, cachectica, niſi a multitudine glandularum meſenterii obſtructarum atrophia inducatur, diu, quin ad integros annos durare poſſit absque multo enervationis vel contabeſcentiae corporis augmento.

Febrium *gaſtricarum* inprimis *pituitoſarum*, *verminoſarum* atque *intermittentium* in ſcrofuloſis infantibus origo explicatione non eget.

§. 22.

Lotium, alvi fluxus, cutanea excretio ſcrofuloſorum.

Urina ſcrofuloſorum in plurimis caſibus a naturali plane non diſcrepat. Ubi vero meſenterium infarctum, venter tumidus atque bilis a ſaburra acido-viſcida primarum viarum peſſumdata & in fatuum, inutilem vix flaveſcentem humorem converſa fuit, ex *albo-turbidum* quaſi lacteſcens ſaepe conſpicitur lotium, vel ſedimentum ponit album, chyloſum, farinaceum, interdum quaſi arenoſum. Talem urinam dudum vermium ſignum credidere & recte quidem. Memini aliquoties ab infantibus verminoſis excretam vidiſſe urinam adeo albam, ut lactis ſpeciem referret perfecte. Non vero a verminoſis ſolum, ſed etiam meſenterica ſcrofula laborantibus & atrophicis mitti ſolet. Hi quidem plerumque vermibus ſcatent, ſed ab iis ſolis dictam lotii qualitatem vix derivaverim. Illa enim provenit a chylo crudo propter coctionis vires debilitatas, depravatas non rite elaborato, vel a vermibus, qui optimam illius partem conſumunt, depauperato; qui in vaſa lactea tranſiens non rite mutatur tum ob glandulas meſenterii vitiatas tum ob lympham in vaſis lacteis contentam depravatam. Crudus hinc chylus defertur ad ſanguinem nec cruori debito modo poterit aſſimilari, inſuper cum talium infantum univerſa corporis conſtitutio laxa ſit & imbecillis. Non itaque mirum, cum urina magnam iterum chyli partem ſecerni excernique illique albidum conciliare colorem. — Alias cruda aquoſa eſt urina, ſedimentum ſaepe pituitoſum demittens. Neque hoc loco praetereundum, durante curatione infarctus glandularum meſenterii, ut-

utplurimum plus minus pituitoſae ſaburrae cum lotio eliminari*).

Praeterea pluries obſervavi in ſcrofuloſis urinam pellucidam, diſtincte *virideſcentem*, vel ſi inter oculum & lucem ponitur, ſtrias virides oſtendentem, qualem & in illa mali hypochondriaci ſpecie, quam glanduloſam vocat, animadvertit F. G. KRAYFäNGER **). Inprimis vidi, ubi acidi primis viis moleſti ſigna aderant plus minus manifeſta. Infra vero monſtrabitur, acidum primarum viarum in ſcrofuloſis maxime eſſe attendendum & ex potioribus eſſe cauſis materialibus, quae cachexiae ſcrofuloſae in infantibus generationem adiuvant. Acidum quoque conſtituit plerumque cauſam bilis colorem flavum in viridem mutans & ore anoque reiectorum aeruginoſum colorem reddens; hinc a tali excretorum facie ad acidi in primis viis praeſentiam utplurimum tuta ſatis valet concluſio, licet hoc argumentandi genus non ſemper locum habere b. SCHROEDERUS in peculiari diſſertatione ubertim docuerit. Iam vero in ſanis hominibus, quis neſcit, lotii citrinum colorem a bile eſſe repetendam? Quis itaque dubitabit, bile virideſcente non poſſe non urinam flavum ſuum colorem mutare in dilute viridem? Hinc facile nobis explicare poterimus urinae viridis in noſtris aegris obvias rationes.

Si contabeſcunt infantes, praecipue ulceratis meſenterii glandulis, lotium non raro mittunt inſtar

*) KAEMPF Abhandl. p. 508.

**) Diſſ. de mali hypochondriaci ad minimum ſextuplici ſpecie. Duisb. 1771. p. 21. (Auctor eſt Cl. LEIDENFROST.)

ſtar phthiſicorum, colliquativum, partes nutritioni idoneas educens, cui nempe innatant fibroſa pinguedinoſaque corpuſcula; — vel purulentum. Nec raro ſupernatat cuticula variis coloribus ſuperbiens.

„Videmus ſaepe pueros ſtrumis laborantes cum *alvi fluxu* chyloſo eoque diuturno ſenſim contabeſcere & ad marasmum deduci, propterea quod in iis univerſum meſenterium glandulis refertum eſt, quae venas illius obſtruunt, & chyli — commeatum impediunt, unde fit, ut ille ſemi-confectus per alvum excludatur ſicque partes alimento neceſſario priventur.“ RIVERIUS *).

„Si glandulae meſenterii aliqua de cauſa vel obſtruantur, vel liquor in iis genitus & lacteo ſucco neceſſario admiſcendus nimis acidam acredinem quacunque de cauſa acquiſiverit, tunc chylus lacteus in iis ſubſiſtens coagulatur in caſei formam ab eiusque copioſo influxu multum intumeſcunt, atque ſic chylo ſubſequenti tranſitus omnino praecluditur, unde tales homines, quibus hoc contingit, coeliaco fluxu (propter impeditam chyli diſtributionem) & ventris dolore torquentur, atque ob denegatum alimentorum tranſitum atrophia conſumuntur.“ DIEMERBROEK **).

Satis ergo bene laudati Auctores notant diarrhoeam chyloſam puerorum, quorum meſenterium ſcrofuloſa labe affectum cauſamque recte in glandularum obſtructione quaerunt; quare & KLEINIUS †): *Si in phthiſi foeces albeſcunt, glandulae meſenterii*

*) Opp. omn. p. m. 271.

**) Anatom. L. I. Cap. 8. p. m. 57.

†) Interpr. clin. p. 232.

ſenterii ſimul ſunt infarctae; — nec in ſcrofula proprie dicta, ubi non multum laborat meſenterium, talis alvifluxus obſervatur.

Evacuat vero dicta diarrhoea foeces albidas, male miſtas, lacteas, vel ſolas, vel una cum foecibus aliis naturalibus aut virideſcentibus. Striae ſanguineae quandoque intercurrunt. Fruſtula quoque caſeoſa, quin alimenta cruda vix ſemidigeſta (quo in caſu vera lienteria adeſt) ſaepe excernuntur. Initio excrementa acidum ſpirant, ubi vero longum malum ſcrofulaque meſenterica ad magnum provecta gradum vel adeo glandulae meſenterii iam exulceratae ſunt, deiectiones foetidiſſimae, putrilaginoſae, ſpumeſcentes, ſplendentes ingruunt, torminibus non imminutis ſed potius continuo auctis, aegrotoque ad mortem properante.

Vermes ad alvifluxum, inprimis lientericum, multum omnino conferre poſſunt. Ceterum digeſtione prorſus peſſumdata, chyli in lactea vaſa commeatu impedito, ſaburra omnimoda primas vias obruente, non poteſt fieri, quin corrupta materies irritet inteſtina, acceleret motum periſtalticum & crebram excitet diarrhoeam, inſuper cum exulceratarum glandularum ſanies in inteſtina effuſa ſaburrae corruptionem atque putrilaginem mirum quantum augeat.

Tranſpirationem in ſcrofuloſis non bene procedere, docet oedematoſus eorundem habitus. Rationem quaeſiveris in virium vitalium humorumque motus languore, pituitoſa corporis conſtitutione & inerti ſaburra abdomen infarciente, cuius hinc viſcera minus recte officiis ſuis funguntur, unde non raro perſpiratio ſupprimitur, cum primas inter vias & cutim arctus nexus atque conſpi-

ſpiratio intercedat. Attamen ſi humorum ſeroſorum acrimonia una cum ſolidorum irritatione augetur, debilitate interim increſcente, ſcrofuloſi ad ſudationes prompti ſunt atque parati, leviſſima quaque exaeſtuante cauſa accedente, inprimis vero ſi febricula (§. 21.) ſeſe adſociaverit. Non raro ſudor acidum redolet inſtar embammatis braſſicae acidae conditae ſupernatantis, in infantibus ſcrofuloſis, atrophicis, rhachiticis. Alio tempore, ſi febris hectica in maiorem vehementiae gradum provecta & ab exulceratione glandularum internarum phthiſica quoque accedit, ſudores vere colliquantes laudabilesque & nutritioni dicatas partes e corpore extrudentes deprehenduntur. Hi ſudores haud raro nauſeoſum, quaſi ex acido corrupto putidiſſimum halitum ſpargunt. — De comedonibus atrophicorum, viſcidi colliquantisque ſudoris ſequela ſupra iam egi. (§. 19.)

§. 23.

Haemorrhagiae.

Infantes ſcrofuloſos aeque ac rhachiticos crebris narium haemorrhagiis ſubiectos eſſe, docet experientia, & KAEMPFIUS *) illas in iunioribus ſaepe recurrentes inter ſigna latentium meſenterii obſtructionum refert. Si largae fuerint epiſtaxes, merito, uti in omnibus cachecticis morbis, ita & in noſtris aegris metuuntur; nihilo tamen minus eas quandoque cum fructu in ſcrofuloſis accidiſſe animadverſum fuit. VOGELIUS **) ſuborta narium

---

*) l. c. p. 166.
**) l. c. §. 71.

rium, haemorrhagia ſaepenumero malum ceſſare refert. Et negari omnino nequit, in plethoricis infantibus, vel quibus multae ad caput congeſtiones, ſcrofularum leviori gradu laborantibus haemorrhagiam narium, iunioribus quibuscunque hominibus ſolemnem utilemque, morbum ſaepe allevare ac promovere ſcrofularum diſcuſſionem. At vero rarius aegri noſtri plethora vera laborant, ſed plerumque ſanguis vappidus, mucoſus, cruoris penuria laborans pauperrimusque, ut aiunt, venas ipſorum replet; praeterea non ex vera plethora, ſed ex irritamentis vitiisque abdominalibus in ſcrofuloſis ſanguinis ad caput congeſtiones excitantur. Ipſe pluries ſum expertus in noſtris aegris frequentes absque ulla mali imminutione ſubſecutas epiſtaxes.

Infarctus abdominales humorum circulum turbantes, inprimis ſanguinem ad caput urgentes, irritamenta in inteſtinis habitantia, verminoſa inprimis colluvies, tum narium pruritus ad illas frequenter ſcalpendas infantes adigens, mucusque acris copioſe effluens & pituitariam membranam irritans, cauſae ſunt in ſcrofuloſis occurrentes ad epiſtaxes concitandas ſatis aptae natae, eo quidem magis, cum iunioribus congeſtiones ad caput familiares & quaſi naturales ſint. — In puero quinquenni, glandularum meſenterii infarctu laborante, cuiusque pater haemorrhoidarius erat, veras fluentes haemorrhoides vidi.

Quin colliquativas haemorrhagias ex ſanguinis diſſolutione provenientes in ſcrofuloſis non plane impoſſibiles eſſe, licet humorum mucoſa ſpiſſitudo & ad coagulum pronitas contrarium innuere videantur, ſequentes docent obſervationes.

Infans

Infans 6 circiter annorum plebeius, multis ſcroſulis laborans, ſubito absque ulla cauſa reperiunda maculis rubentibus per totum corpus, haemorrhagia narium, tuſſi cruenta & mictu cruento infeſtatur & ſequenti die exſpirat. — Puella, 12 annos nata, multis ſcroſulis obſeſſa, itidem ſubitaneo maculis rubris paſſim in corpore pingitur patiturque haemorrhagiam narium. Maculae erant verae ſugillationes ſtatim ſub epidermide poſitae. Nonnullae ſcalpello inciſae ſanguinem fundebant. Puella decocto corticis peruviani interne ſumto & fomentationibus e maiorana, roſis rubris &c. cum vino decoctis, ſalvabatur. — Puer ruſticus 12 circiter annorum haud paucis glandularum tumoribus conſpicuus & dyſcraſiae ſcroſuloſae luculenta indicia prae ſe ferens, ſubito absque ulla detegenda occaſionali cauſa, antea bene ſe habens circa meridiem vomitum immanem experitur, vermesque aliquot eo reddit. Per horam & ultra continuus durat vomitus & demum merus ſanguis eiicitur. Simul oriuntur dolores artuum, febris, non tamen valida, narium haemorrhagia ingens & corpus ſanguineis variegatur maculis. Cum puer, ſponte fere iam multum emendatus eſſet, me adierunt parentes. Febris nunc omnis aberat, appetitus ciborum ſatis bonus, quin nimius, ſed dolores artuum adhuc perſeverabant, necdum evanuerant ſanguineae maculae. Verminoſam colluviem in inteſtinis hoſpitantem ſubolfaciens purgans dedi, tumque propinavi pulveres ex cortice peruviano, radice valerianae, ſemine ſantonici & Vitriolo martis factitio compoſitos. Vermes adhuc aliqui per alvum prodiere brevique aeger ſanitati (cachexia quadam ſcroſuloſa excepta) reſtitutus fuit.

In ultimo hoc caſu a memet ipſo obſervato vermes cauſam potiorem inſuetorum ſymptomatum conſtituiſſe videntur. Hos enim, uti omnis fere generis mirabilia ſymptomata, ita & haemorrhagias producere poſſe, dubio caret. Etiam corruptae primarum viarum ſaburrae aliisque irritamentis abdominalibus mira in ſanguinis profluviis excitandis potentia. Si cui mirum videatur, in morbo ſcrofuloſo, cui tanta humores inſpiſſandi facultas tribuitur, cruorem fundi poſſe diſſolutionis indicia oſtendentem, is perpendat, in lymphaticos humores inſpiſſationem illam & coagulationem potiſſimum cadere, non in ipſum cruorem. Sanguis e vena hominis ſcrofuloſi miſſus cruſta alba mucoſa plus minus craſſa plerumque obducitur, molliori tamen illa, quae in morbis inflammatoriis cernitur. Ipſe autem cruor ſeu inferior rubicunda placentae pars haud valde in coagulum prona, ſed tenuis potius, aquoſa, dilute rubens & tenui mucoſa ſubſtantia miſta eſt, hinc diſſolutionis colliquativae ſatis capax videtur. — Conſiderandum praeterea, in locis humilioribus, paludoſis, ſcorbuto faventibus, hunc morbum in pauperculis inprimis & plebeiis ſaepenumero cum ſcrofulis complicari, & haemorrhagiis aliisque a cruoris diſſolutione pendentibus ſymptomatibus in aegris noſtris anſam ſubminiſtrare. Sic & LAVINGTON *) caſum narrat feminae ſcrofuloſae 16 annorum, quae exhibita aqua marina per decem dies tantam ſanguinis reſolutionem paſſa eſt, ut uteri haemorrhagia & haemoptöe accederet & ex gingivis & naribus tandem perpetuo ſanguis

---

*) Philoſ. Tranſact. Vol. LV. no. 2.

guis ſtillaret. Magna quoque brachii dextri pars gangraena corripiebatur atque in toto corpore hinc inde maculae lividae conſpiciebantur.

§. 24.

Morbus ſcrofuloſus in gradus quosdam ſ. ſtadia diſpeſcitur.

Quum ex hucusque propoſitis ſatis pateat, diverſo valde habitu incedere vitium ſcrofuloſum, modo pauciores, modo plures partes invadere, modo conſuetas corporis functiones vix interturbare, modo vero eas impedire inſigniter, depravare & plane peſſumdare & ſ. p. apprime convenire videtur diſtinctio morbi noſtri in varios *gradus* vel ſi mavis, in *ſtadia* quaedam. Licet ſcrofulae chronicus morbus ſint, illae tamen, acutorum fere inſtar, per gradationes quasdam progrediuntur, ſuasque maturationes atque criſes habent, recte notante Clmo DIEL *). BORDEVIO **) ſcrofulae multiplici reſpectu motus quidam depuratorius eſſe videntur, qui, niſi iuſtos cancellos excedat, haud in corporis exitium tendat; deprehendi quippe in morbi huius evolutione initium atque finem, criſes evacuatorias per urinam, ſudorem, ulcerationes, tumores; nec inconſulto ac intempeſtive morbi decurſum turbandum eſſe.

Minime tamen in quolibet ſubiecto morbus hoſce gradus ad amuſſim percurrit. Saepius in primo aut altero conſtitutus ſponte ſenſim evaneſcit vel, poſtquam per plures annos talis duravit,

*) Apud WHITE *über Scrofeln*, p. 106.
**) Prix de l'ac. de chir.

vit, a corporis tandem robore & incremento aucto ſuperatur. Alias vix priora leviora ſtadia attingit, ſed ſtatim, dum apparet, iis ſymptomatibus oſtenditur, quae vehementiam atque gravitatem mali produnt. Quo quidem in caſu (qui eo magis metuendus eſt, cum leviori morbo per aliquod tempus apparente congrua medela incrementum eiusdem praecaveri poſſit) latens atque larvatum virus ſcrofuloſum ſubeſt vel decubitus materiae ad internas viſcerum glandulas. (Cf. §. 12.)

Sequentes vero gradus morbus noſter utplurimum percurrit, qui tamen non tam ad ſcrofulam meſentericam, quam potius ad proprie dictam pertinent.

Gradus primus. Infantibus vel pueris incipiunt lymphaticae quaedam glandulae ad latera colli, pone aures, ſub mento &c. in parvos tumores rotundos vel oblongos, tangendos potius quam conſpiciendos elevari. Mobiles ſunt, molles, plane indolentes, nec mutatus ullo modo cutis ſuperinductae color. Abdominis vix aliquis tumor vel induratio percipitur. Signa diſpoſitionis ſcrofuloſae, (§. 13.) habitus vero ſcrofuloſus non ſemper luculentus. Ceterum perfecte ſani videntur pueri, quare & non ſatis conſulto C. A. DIETRICH *) ait: „niſi glandularum in pueris tumores alieno malo, capitis tinea, aurium exulceratione & lippitudine oculorum chronica adiuti ſint, ipſi ſanitati non ſolum nil afferre detrimenti, ſed quoque perfectiorem eam quodammodo reddere.“ — Has tumidas colli puerorum glandulas a ſola fere nutrimenti abundantia derivarunt antiquio-

*) Diſſ. de morb. glandul.

quiores & ſimplici *glandularum* nomine condonarunt. (§. 2.) Licet interim hae leves intumeſcentiae vix incommodum afferant, per multos annos absque ulla moleſtia, dolore aut inflammatione adeſſe poſſint, interdum quoque facile diſpareant, mox iterum redeant, augeſcente vero corporis robore plerumque prorſus evaneſcant, primum tamen eas ſcrofularum gradum conſtituere cenſeo. Perfecte ſani enim pueri talibus glandularum tumeſcentiis infeſtari non debent, ſemper aliquid praeternaturalis prae ſe ferentibus, inſuper cum ſcabies capitis perſaepe ſimul adſit vel antea detinuerit. Deinde experientia docet, hoc vitium ſaepius in ipſum morbum ſcrofuloſum omnibus ſuis ſignis declaratum tranſire, ſi nempe diſpoſitio ad illum alendum corpori inhaeſerit, vel cauſae occaſionales evolutioni illius faventes continuo corpus afficiant. Quid! quod vix non omnes, quantumvis graves morbos ſcrofuloſos tumidis talibus colli glandulis, primo intuitu vix quidquam mali praeſagientibus incepiſſe, ſaltem eas quondam adfuiſſe, aegrotos ſuos curatius examinans cognoverit attentus quisque medicus. Natura glandularum colli in pueris tumefactarum vere ſcrofuloſa confirmatur etiam illa obſervatione, quod poſt variolas ſaepe remaneant ſcrofulae declaratae morbive characterem ſcrofuloſum prae ſe ferentes; quippe in hiſce caſibus, veluti infra curatius exponam, vidi ſemper ante morbum varioloſum exigua vitii ſcrofuloſi initia, inprimis leviter tumefactas colli glandulas, quae in quibusdam caſibus diu iam adfuerant, diſparuerant aliquando, tum redierant & ita erant comparatae, ut ſponte illas in vitium ſcrofuloſum declaratum tranſituras fuiſſe, haud credideris. Iam vero ac-

cedente alia cauſa morboſa, viru nempe varioloſo, & cum initiis ſcrofuloſae cachexiae connubium ineunte, poſterior haec, quaſi e ſomno expergefacta, veram ſuam naturam & indolem prodidit. — Ceterum, quod ſupra (§. 20.) iam notavimus, ad primum hunc ſcrofularum gradum *ſcrofulam fugacem* SAUV. retuleris.

Gradus 2. Tumidae colli glandulae fiunt numerioſiores, concatenatae, mole quoque augentur & duritie; accedentibus haud raro cyſticis tumoribus. Nec abdomen a vitio plane liberum cernitur. Habitus ſcrofuloſus luculentus. Absque tamen irritatione ſtagnant in glandulis tenaces, frigidi, cachectici humores, perfectamque quietem ſervant. — Hic mora urget, congrua remedia, ut in uſum vocentur.

Gradus 3. Irritamentum evolvitur & in actum ducitur. Glandulae tumidae dolent, inflammantur, exulcerantur. Corpus fit ſenſilius, irritabilius, viribus minuitur, paulatimque magis emaciatur. Appetitus paucus, ciborum digeſtio debilitata. Pulſus parvus, celer, inprimis poſt motum vel paſtum, rubor & pallor in genis alternans, calor volans, inhorreſcentia poſt frigidam auram admiſſam. Nec raro iungitur vera febricula. Habitus ſcrofuloſus totus quantus conſpicitur. Praeter conglobatas glandulas conglomeratae quoque, inprimis ſalivales ſaepe afficiuntur, id quod malum multum progreſſum indicat. — Quanam ratione procedat ſcrofularum inflammatio & exulceratio, § ſeq tradam. In hocce morbi ſtadio univerſum ſyſtema lymphaticum in ſtatu quodam inflammatorio eſſe videtur.

Ad

Ad *quartum* denique *gradum* referri poſſunt omnes vehementiores vitii noſtri effectus, inprimis maligna oſſium caries, articulorum tumores albi, cancer, tum & phthiſis aliique pernicioſi morbi ſcrofuloſi ſecundarii.

Paulo alia ratione Cl. DIEL *) ſcrofularum ſtadia determinat. Primum quippe morbi gradum conſiſtere innuit in cachexia ſcrofuloſa incipiente, per corpus oberrante absque glandularum tumoribus. Hunc gradum, quem ſaepe non excedat vitium, circa pubertatis tempus diſparere. Cruſtam lacteam & capitis ſcabiem ſine dubio eſſe primas cachexiae ſcrofuloſae evolutiones, quae perdurantibus cauſis occaſionalibus in omnes gradus tranſire poſſint. Materiem ſcrofuloſam in toto corpore hac in periodo diſperſam oſtendi eruptione ſcabioſa cutanea, facie pallida inflata, pupilla ampla, oculis magnis, labro tumido, naſi excoriatione, pſorophthalmia, herpete, exulcerationibus, ad motum torpiditate, doloribus oberrantibus, appetitu vago, addephagia. Aliquando plura, alias pauciora horum ſymptomatum adeſſe. Etiam atrophiam incipientem atque rhachitidem ad primum ſcrofulae gradum referendas eſſe, cum in tenellis ſcrofuloſa cachexia in abdomine pedem figat, indeque corpus corrumpat.

(Equidem minime nego, quandoque in infantibus ſymptomata a laudato Auctore enumerata absque glandularum tumeſcentiis adeſſe, & pro primo quodam morbi gradu ſumi poſſe. In plerisque tamen caſibus glandularum colli tumeſcentiae ſtatim in initio una cum pluribus vel paucioribus dicto-

*) ap. WHITE l. c. append. p. 113-115.

dictorum ſymptomatum apparent, quare & illarum primum morbi gradum determinans mentionem inieci.)

Alterum DIELII ſtadium continetur quieta materiae ſcrofuloſae in glandulas depoſitione, tertium inflammatione, quartum denique ſuppuratione. Sed bina haecce poſteriora ſtadia male ſeiunxiſſe Auctorem ſentio; cum non ſeparatim ſed iunctim atque promiſcue ſcrofularum inflammationem & exulcerationem procedere, in vulgus notum ſit; ita quidem, ut, dum in uno loco glandulae inflammari incipiunt, in alio eaedem iam exulceratae ſint, aliisque conſolidatis aliae iterum inflammentur & ſuppurentur.

Cl. FABRE *) tres gradus aſſumit, eorumque primum fere, uti Cl. DIEL determinat. Eſſe quippe non niſi diſpoſitionem ad morbum annunciarique faciei pallore, labri ſuperioris aliquo tumore, functionumque naturalium conturbatione. Multiplici aegritudine hoc in ſtadio vexari infantes, evaneſcente, ſimulac glandulae tumeſcere incipiant & praecipue, ſi manante ulceratione quaſi purificante ſanguinem, morbidamque materiem eliminante infeſtentur aegroti. Hinc & tumorum diſcuſſionem ulcerumque conſolidationem interdum eſſe periculoſam. — Alterum ſtadium contineri tumorum ulcerumque externorum apparitione, tertium ſummo ſymptomatum vigore.

WHITE **) duos ſolummodo gradus non ſatis vere accurateque conſtituit. Ad priorem refert mul-

*) *Unterſ. aus der theor. und pract. Arzneyw. verſ.* C. PLATTNER p. 175. ſq.

**) l. c. p. 64. 65.

multiplicia morbi ſymptomata, quae cum diatheſi inflammatoria juncta & plerumque tantummodo localia ſint. Alterum vero ſtadium involvere debilitatem atque univerſum ſyſtema lymphaticum magis affectum videri. — Omnes illos priores morbi effectus ſive interni ſint in meſenterio, hepate, pulmonibus, bronchiis, trachaea &c. ſive externi, ut labrorum genarumque tumor, tubercula ſub mento, in collo, eruptiones cutaneae, cutis aſperitas, rubor tumorque palpebrarum, oculorum, fere ſemper diatheſi inflammatoria eſſe juncta, facileque, ſi maturius accedas, tolli.

§. 25.

Mutationes & exitus tumorum ſcrofuloſorum.

Superſunt ſpecialia quaedam de mutationibus, decurſu & exitu tumeſcentiarum ſcrofuloſarum notanda. Quippe vel diſſipantur tumores, vel inflammantur & in ulcera benigniora aut plus minus maligna tranſeunt vel denique in ſcirrhos irreſolubiles indurantur. De ſingulis ſigillatim.

Diſſipantur tumores glandulares tempore pubertatis robore ſolidorum corporis aucto & confirmato utplurimum ſponte natura. Ante illum terminum congrua medela ſaepe diſcutiuntur. In pueris quoque evaneſcunt ſaepe, tumque redeunt, inprimis ſi ſcabies capitis, otorrhoea &c. ſimul detineant, quibus magis manantibus colli tumeſcentiae minuuntur vel prorſus diſparent, & v. v. Interdum tumores ſcrofuloſi ſubito evaneſcunt absque excretione quadam ſubſequente, & tunc *per deliteſcentiam* eos terminari, dicit CHARMETTON. Sed raro id accidit & ſi eſt, magna omni-

no requiritur attentio, ſiquidem humor iſte vitiatus per corpus nunc oberrans vel partes interiores infeſtare vimque in eas exercere, vel partes exteriores v. c. articulos aggredi atque noxia forte non compeſcenda ſymptomata excitare poteſt.

Scrofulae per ſe lentae & frigidae naturae ſunt nec in inflammationem atque ſuppurationem valde proclives deprehenduntur. Hoc tum a debili vi vitali & exigua ſenſibilitate, qua partes, quas primario occupant, inſtruuntur, tum a blanda materiae obſtruentis natura provenire cenſendum. Lympham enim in ſcrofuloſis haud acrem, irritantem, erodentem eſſe, docet vulnerum ipſis inflictorum facilis coalitus, cuius cauſa ſine dubio in humorum, lymphae inprimis pronitate ad coagulum, quae in aegris noſtris obſervatur, quaerenda eſt. Sic BORDEU *) in puero ſcrofuloſo brachii amputati vulnus intra quatuordecim dies conſolidatum vidit. Attamen quantumvis blanda ac mitis materies ſcrofulas conſtituere videatur, hoc tamen non impedit, quo minus illa in acrem ichorem mutari & exaltari poſſit. Si enim malum penitius inſedit, tunc in iis praecipue locis, ubi diu iam materies ſtagnavit, corruptio lymphae mirum quantum augetur atque irritationis ſolidorum ſymptomata ſeſe efferunt. Glandulae hinc inflammantur & exulcerantur. Hoc, recte obſervante CULLENO **), eo potiſſimum anni tempore vel in progreſſu illius anni temporis fieri conſuevit, quo primum manifeſti erant glandularum tumores. Quippe hi inde a vere, quo primum orie-

*) Prix de l'ac. de ch. T. 3. p. 36.
**) l. c. §. 1682.

oriebantur, immutati ſaepe permanent usque ad ſequentis vel ſecundi adeo anni ver ac tum demum inflammari incipiunt; ſciteque WHITE *) in multis caſibus, notat, ſcrofuloſos tumores barometrorum inſtar animalium iuxta temporum anni rationem maiores ſenſilioresque fieri. Praeterea frequens externa irritatio ac contrectatio admodum valens deprehenditur ad inflammationem tumorum accelerandam; recte hinc LOMMIUS **), manuum contrectatione malum peius fieri, innuit. Sanguinis excalefactio a quibuscunque cauſis, diaetae erroribus, ingluvie &c. excitata idem praeſtare poteſt. Sic in iuvene, cuius collum varii tumores ſcrofuloſi deturpabant, hoſce ab exercitio veneris exacerbatos & dolentes redditos vidi. Male tamen BERTRANDI †) ſcrofulas nunquam fere, niſi per accidens inflammari aſſerit, cum ad ſcrofulae, ſaltem proprie dictae, naturalem decurſum tumorum inflammatio atque exulceratio pertineat. Qui quidem effectus, quomodo procedant, nunc enarrabimus.

Primo ſentiunt aegri levem pruritum vel leves quaſi puncturas in intimis tumeſcentiarum receſſibus per intervalla accedentes, non multum quidem dolentes, ingratum tamen ſenſum excitantes. Tumores fiunt maiores, magis inaequales & quaſi ſcrupei, partibus ſubiectis, inprimis vero ſuperinductae cuti magis adhaerentes, proinde immobiliores. Color quoque mutari incipit & initio rubeſcens, poſtea vero purpureus evadit, quin

*) l. c. p. 11.

**) Obſervat. medicinal.

†) *Abh. von den Geſchwülſten* p. 358.

quin aliquando ad liveſcentem inclinat. Succeſſu temporis rubor magis diffunditur ſimulque molliores fiunt tumores, quin materia quaedam fluctuans interdum digito percipi poteſt. Dolor ſemper manet exiguus, aliquando tamen per paroxyſmos paulo acerbior & lancinans evadit. Rariſſime quidem, tamen quandoque ſcrofulae iam inflammatae, rubicundae, dolentes, adhuc diſcutiuntur, nec ſuppuratio earum abſolute neceſſaria eſt. Lentiſſime procedit ſcrofularum inflammatio nec phlegmones verae vehementiam refert; quin interdum vix intra ſex menſes maturatio ac puris formatio abſolvitur *). Cauſam huius tarditatis in corporum maxima debilitate atque enervatione, quae in hoc ſcrofularum ſtadio utplurimum obſervatur (§. pr.), quaeſiveris. Rumpitur tandem ſponte abſceſſus ita, ut pars cutis pallidior fiat & plures in illa parvae aperturae oriantur humorem ſtillantes. Suppuratio tamen & abſceſſus depuratio non niſi difficulter procedit. Humor effluens initio quidem puris ſpeciem refert, haud tamen bene coctus eſt, ſed tenuior ac in phlegmone ſuppurata, albisque craſſamentulis miſtus, vel lentus & grumoſus. Materies quotidie minus purulenta evadit, ſed tenuis, aquoſa, ichoroſa cernitur. Serum quaſi mucoſum ſiſtit parvis albis fruſtulis lactis coagulum aemulantibus remixtum. Dum haec in tumoris ſuperficie fiunt, baſis interim imperfecte ſaepe ſuppurat & dura atque renitens manet; unde ulcera aegre ſanabilia & ſaepe fiſtuloſa originem ducunt, inprimis cum in acervum collectarum glandularum quaedam ſaepe ex-

*) RENARD ſur les ecrouelles p. 81.

exulcerentur, aliis integris permanentibus. Quippe glandulae ſemicorruptae, vel, dum interea ulcus cellulоſum depaſcit, intactae remanentes conſolidationem impediunt, quae vix perfici poteſt, niſi vel natura, quod tamen difficulter fit, vel arte, eſcharoticis puta & cauſticis corruptae glandulae penitus deſtruantur. Saepe quoque, niſi reſolutio ſtagnantium humorum plane abſolvitur, ſtaſes irreſolubiles & ſcirrhodes relinquuntur, cum ad coagulum iſti humores ſua indole quam facillime proni ſint. — Alias tumor ſenſim ſubſidet penitus, ulcere tunc evadente ampliore magisque aperto ſeque inaequaliter iuxta varias directiones diffundente, unde circumferentia & margo irregularem figuram referunt.

Ceterum margines ulcerum ſcrofuloſorum flaccidi, pallidi, tumidiuſculi, glabri ſunt, raroque calloſi fiunt. Parum plerumque dolent ulcera nec valde diffunduntur aut profundiora fiunt; nec tamen quoque margines ſibi approximantur quaſi cicatricem formaturi.

Ita comparata ſaepe diu permanent ſcrofuloſa ulcera, neque ad ſanationem neque ad peiorem ſtatum inclinantia; largusque in quibusdam caſibus eſt effluxus. Alias cito conſolidantur, in aliis vero corporis locis iterum tumores oriuntur, quos nova ulcera excipiunt, notante iam AMATO LUSITANO *), vel aliae, vicinae inprimis glandulae antea iam tumidae in exulcerationem abeunt. Quaedam ulcerum aeſtate, ſaltem aliquali modo ſaneſcunt & ſequenti vere recrudeſcunt vel quovis vere per aliquos continuos annos novi tumores & ulcera

*) Cent. III, Curat. 54.

ulcera oriuntur *). Ita pergens morbus quatuor plerumque vel quinque elapſis annis ſponte ita ſanatus eſt, ut priora ulcera conſolidata ſint, nec amplius nova ſe oſtendant. Rurſus itaque tandem diſparet morbus reſiduis tantummodo cicatricibus foedis, pallidis, glabris, paſſim tamen quoque rugoſis, per totam vitam perſiſtentibus, vel foveis profundis, ingentibus, cartilaginoſis cicatricibus pro parte impletis. Hae cicatrices, ſi ſub mento atque infra maxillam inferiorem ponantur, inſigniter hominem deturpant foedantque, quod barbam ulularem (*Eulenbart*) noſtrates dicunt.

Ex iam dictis apparet, quam falſum ac futile ſit Clmi DIEL *) aſſertum: „ſcrofularum ſuppurationem fere ſemper morte finiri, cum glandulis externis inflammatis & exulceratis iternarum corruptio ſaepe iam maiores progreſſus fecerit; (minime vero; quo magis ad exteriora malum vertitur, eo minus internae devaſtationis periculum.) ſcrofulasque per plures ſaepe annos absque multa noxa ſuppurantes non niſi reſiduos cachexiae iam ſublatae effectus, vel adeo ſpurias tantummodo ſcrofulas eſſe.“ (!!)

§. 26.

De ſcrofulis malignis &c.

Vulgo, ab antiquioribus praeſertim (§. 5.) *benignae* ſ. *manſuetae* ſcrofulae dicuntur, quae mobiles, indolentes, aequales, cuti concolores, non inflammatae ſunt, *malignae* vero adhaerentes, dolentes,

*) CULLEN l. c. §. 1684.
**) l. c. p. 123. 124.

lentes, inaequales, inflammatae, ad ulcerationem pronae. Hoc proinde ſignificatu eae quoque, quas §. pr. deſcripſimus, iam ad malignas referendae ſunt, quod tamen hodiernus loquendi uſus vetat. Rectius CHARMETTON *) benignas a malignis ita diſtinguit, ut illae ſint ſuperficiariae, aequales, mediocriter durae, mobiles, fluctuantes, non inflammatoriae & indolentes, ſenſim paulatimque formentur, progreſſus earum non adeo ſubitus ſit, ſponte in ſuppurationem abeant, ulcusque inde ortum absque difficultate coeat. Malignas e contra, ait, eſſe duras, inaequales, profundas, adhaerentes, dein multiplicari & parvo temporis ſpatio augeri, glandulas porro conglomeratas atque partes membranoſas & tendinoſas invadere, dolore & inflammatione plus minus inſigni ſtipatas eſſe, materiam tam depravatam & acrem habere, ut textus partium mollium & durarum deſtruatur, in ulcera plus minus maligna abire ſanioſa materie manantia, fiſtulis & carie ſtipata, margine calloſo, craſſo, contorto & dolente inſtructa, cancroſi ulceris characterem prae ſe ferentia. — Huc & quadrat malignarum deſcriptio apud AETIUM **). CULLENUS †) interdum, ait, malum ſcrofuloſum vehemens valde, quin lethale. Tunc plures corporis partes ſimul adoritur & acrimonia inſignis ulceribus ineſſe videtur; ea quippe tunc fiunt profundiora, magis exedentia, late diffuſa, raro ſanabilia. Spes quoque exigua, ſi veri articulorum fungi accedunt. Praeterea inter malignitatis ſcro-

*) Prix de l'ac. de ch. l. c. p. 158.
**) Tetrabibl. IV. Sect. 3. cap. 5.
†) l. c. §. 1686.

ſcrofularum ſigna refert CULLEN, ſi vitium oculos invadat, palpebrarum margines tumeant, ſuperficies ulceretur, & haec ulceratio tunicam dein adnatam valde inflammet & ipſas corneae maculas excitet. Quis vero non videt, vulgarem hic ophthalmiam ſcrofuloſam deſcribi? quae certe ſatis frequens eſt, etiam malo non ad magnam vehementiam evecto, nec ullo modo malignarum ſcrofularum ſignis adnumerari poteſt.

b. BIERCHéN *) eas, cenſet, glandulas induratas, quae in infantibus alias vegetis, ſub mento, pone aures & ad collum, magna ſaepe copia oriuntur, ſcabie capitis & pediculis coniunctae ſunt & certis tantummodo temporibus anni ſe oſtendunt, haud magni momenti eſſe, ſponte ſaepius vel laxantium uſu in ſuppurationem tranſire & frequenti capitis mundatione utplurimum praecaveri poſſe. Haſce indurationes vix nomine ſcrofularum dignas, ſaltem *benignas* vocandas eſſe. Sub *ſcrofulis* potius intelligit Auctor **) glandularum tumores maiores minoresve in inguinibus, axillis, ſub mento, ad collum, iugulum, vel aliis in locis, qui ab occulta cauſa venerea orti vel ſoli ſe oſtendant vel iunctis vitiis cancroſis & ſingularibus nodis cutaneis, albis, rufis vel ex rubro coeruleis, elephantiaſi ſimilibus, interdum etiam cutanea eruptione pſorica vel herpetica. Has glandularum indurationes vel ipſos coitu impuro ſibi contraxiſſe aegros vel haereditate translatas vel ab infecta nutrice accepiſſe. Eſſe naturae frigidiſſimae & chronicae, plerumque prorſus indolentes

*) *Abh. von den Kennzeichen des Krebſ.* p. 39.
**) l. c. p. 40. ſq.

lentes & per totam vitam immutatas perſeverare poſſe. Qui in inguinibus collocantur, tumores eſſe aliis duriores per omnem ſaepe lumbum decurrere. — Carcinomata in talium tumorum ſocietate occurrentia fere immedicabilia eſſe, poſt exſtirpationem ſemper repullulare & in mammis feminarum ſingularem formam prae ſe ferre *), & ſcrofuloſa vocanda eſſe & ſ. p.

Ex iam propoſitis ſatis patet, ſcrofulas BIERCHENII eſſe malignas glandularum indurationes ex cauſa venerea vel ſola vel ſaltem vitio ſcrofuloſo admiſta, & carcinoma ſcrofuloſum eiusdem venereum potius dicendum eſſe. — Generatim cachexia ſcrofuloſa raro per ſe ſolam tam pravos, malignos, quin cancroſos affectus producere videtur. Ea vero ipſius eſt indoles, ut aliis acrimoniarum atque miasmatum generibus lubentiſſime ſeſe iungat firmiterque illa retineat, a quarum admiſtione mirum quantum exaltatur, depravatur, & longe magis nociva, pernicioſa redditur. Notandum praeprimis virus venereum, item ſcorbuticum, forſan etiam arthriticum & rheumaticum **). Sed de his infra pluribus.

Minime interim negari poteſt, ſolum vitium ſcrofuloſum inveteratum & neglectum peſſima & vix ſanabilia ulcera, quin carcinomatoſa producere poſſe. In Anglia praeſertim malignae ſcrofulae frequentes ſunt. Tumores ſcrofuloſi tunc nec reſolvuntur, nec ſuppurant, immobiles & inaequales fiunt, per intervalla dolent, livent, vaſis tur-

*) l. c. p. 47.

**) BIERCHéN l. c. p. 68. Prix de chir. l. c. p. 207.

turgidis pinguntur. Denique rupta cute ſanies acris transſudat, unde mox ulcus calloſum, marginibus duris, craſſis, calloſis, revolutis, ichorem foetidum, ſordidum vel ſanguinolentum varii coloris plorans formatur. Hoc modo potiſſimum tumores ſcrofuloſos emunctoriorum, articulationum, partium ad tendines iacentium, genarum, poſterioris partis ſurae &c. terminari, docet CHARMETTON *). An & huc carcinomata referenda, quae feminis iuventute ſcrofuloſis interdum poſt ceſſationem menſtruorum moleſta ſunt?

Interdum quoque *mortificatio* excipit inflammationem ſcrofularum, notante CHARMETTON **). Moriuntur partes, ſi actio ſolidorum & motus fluidorum, quae in partibus, ubi tumores iſti haerent, diſtribuuntur, deſtruitur & aboletur; qualem tumorum ſcrofuloſorum exitum in ſiccam atque humidam mortificationem dividit Auctor. Illam produci, ſi ſanguis deſit aut vitia quaedam liquoribus qualitatem nutrientem adimant, hanc vero a copioſis liquoribus in parte haerentibus provenire. Nunquam bonum eſſe huncce tumorum exitum, ſiquidem deſtructis & dilaceratis partibus ſolidis ulcera cava putridam ac foetentem materiam eructantia fiant, quae foedas ac difformes poſt ſanationem cicatrices relinquant, aut, ſi ulcera inde orta conſolidata fuerint, materies deponatur, quae rebellis ſub cicatricibus formata morbum denuo producat.

Saepe etiam tumores ſcrofuloſi prorſus *indurantur*, ſive in ſcirrhos abeunt, ſi quando nimirum

*) Prix de l'ac. de chir. l. c. p. 189.
**) l. c. p. 191.

rum lympha craſſa, in glandulis &c. nimium congeſta & ad coagulum ex ſua natura ſatis prona ita inſpiſſatur, ut humorum motu propelli non amplius queat. Inprimis repercutientia incaute & incongruo modo applicata multum ad plane indurandos tumores valent. Vaſa enim iſtarum partium debilia ſunt, motus autem eorum aut actio admodum lenta, ita, ut alia iſtorum remediorum vel ſolida criſpent ideoque motum humoris infarcti imminuant, vel alia tenuiſſimam fluidiſſimamque materiam diſſipent. — Talis induratus tumor diu, quin per totam vitam perſiſtere poteſt, nec mutari in peius. Semper tamen periculoſus eſt, cum, inprimis ſcrofulis ad malignitatem inclinantibus inflammatus & ulceratus facile ulcus mali moris, quin carcinomatoſum excitare poſſit.

§. 27.

Vitae periodus, qua ſcrofulae potiſſimum affligunt.

Scrofulae certa plerumque vitae periodo potiſſimum manifeſtantur, ſique a potiori rem determinare velis, illae inter morbos infantum ac puerorum collocandae erunt. Rarius adulti cum morbo noſtro conflictantur, cum obſervatum ſit, de ſexaginta aegris quinque tantum vel ſex adultos eſſe *). — Connatarum ſcrofularum exempla rarius aut vix unquam occurrunt, niſi forte ſeminium morbi, a parentibus foetui implantatum, quod tamen ſtatim a nativitate nondum effectibus conſpicuum eſt, huc referre velis. Nec tumores

 illi,

*) Prix de l'ac. de chir. l. c. p. 340.

illi, quibus pedem plerumque ſiniſtrum Chriſtianorum in inſula St. Thomae, Indiae orientalis inde a nativitate obſitum eſſe CLEYERUS *) narrat, quosque ille ſtrumoſos nuncupat, ad nos proprie pertinent **). GEORG. FRANCUS ***), ſcrofulas ſatis magnas in collo filiolae connatas vidit, idque ex imaginatione matris, quae geſtationis tempore multoties cum averſatione aſpexerat ſervam ſcrofulis in collo deformem derivat. Quis vero non videt, tales in collo infantis excreſcentias verarum ſcrofularum nomine indignas eſſe? — Bronchoceles & ſtrumae connatae exempla refert etiam C. I. OEHME †). An ſequens exemplum ab amico medico mihi communicatum ad connatas ſcrofulas pertinet? „Nuper ego in filiola neonata mercatoris, qui ſcrofuloſus olim ipſe fuit, ſaltem, certe quod ſcio, favo & tinea capitis laboravit, tumorem durum oblongum magnitudine nucis iuglandis in dextro colli latere prope & infra proceſſum maſtoideum obſervavi. Non dolebat, nec ab attactu & preſſione infans clamores edebat, ceterumque ſcrofulae ſimilis erat. Applicato emplaſtro mercuriali per intervalla, (nam cutis teneritas conſtantem applicationem huius emplaſtri non ferebat) ſucceſſive decrevit & poſt ſpatium 3 menſium demum evanuit absque ulla noxa conſecuta."

„Raro, ait BERTRANDI ††), infantes ubera ſugentes ſcrofuloſi ſunt. Fere ſemper haec cacochy-

*) M. N. C. Dec. II. ann. 5. obſ. 13.

**) cf. de HEUCHER Opp. T. I. p. 302. coroll.

***) M. N. C. l. c. obſ. 223

†) diſſ. de morbis rec. natorum chirurgicis. Lipſ. 1773. p. 33.

††) l. c. p. 357.

chymia tum demum in illis ſe oſtendere incipit, quando ſolidioribus nutriuntur cibis, quare vero eſt ſimile, proximam mali cauſam eſſe digeſtionis penuriam vel a prava ipſius alimenti conditione, vel ab humorum aut organorum concoctionis vitio pendentem." Praecipue infeſtae ſunt ſcrofulae dentitionis inter & pubertatis tempus conſtitutis, obſervante iam HIPPOCRATE. Is quippe *) morbos magis adoleſcentium (intelligit, docente GALENO **), eos, qui mediam habent aetatem inter dentitione iam perfunctos & pubertatis proximos) deſcribens, ſtrumas quoque & tubercula huc refert. Raro tamen ſigna vitii ſcrofuloſi ante ſecundum tertiumve annum animadvertuntur, ſcrofulaque proprie dicta fere inde a quarto usque ad ſeptimum annum prima vice affligere conſuevit. Saepe interim id longe ſerius fit. Sic monente CULLENO ***) exempla exſtant, ubi in omnibus ſequentibus annis, usque ad pubertatem ſcrofulae primum in ſcenam prodiere; poſt hunc vero terminum raro prima vice malum ſe oſtendit. Dn. FAURE †) affirmat, raro ante quartum aut quintum, ſaepe verſus ſeptimum & octavum, nunquam vero poſt pubertatis aut vigeſimum annum apparere ſcrofulas, quo tempore potius inveteratae in ſcirrhum mutari ſoleant. Interim ipſe iam HIPPOCRATES ſatis diſtincte ad annum quadrageſimum ſecundum ortus ſtrumarum terminum prorogat. Ait enim ††): „ab anno autem decimo

*) Aphor. III. 26.
**) Comment. ad dict. aphor.
***) l. c. §. 1678.
†) Prix de l'ac. de chir. III. p. 30.
††) Coac. praenot. no. 512.

quarto ad *quadrageſimum ſecundum* usque natura omnis generis morborum corporis ferax eſt. Contra vero ab hac aetate ad annum ſexageſimum tertium neque ſtrumae fiunt, neque calculus &c."

Attamen, licet omnino experientia confirmet, ad ipſum annum quadrageſimum & ultra ſcrofuloſos affectus ſaepe oriri, id veritati noſtrae poſitionis nil demit; quippe conſtituimus modo terminum, quo *prima vice* apparent ſcrofulae i. e. ita, ut non antea eaedem ſeſe iam oſtenderint. Qui adulti, dudum pubertatem egreſſi vel adeo iam ſeneſcentes glandularum tumoribus aliisque affectibus ad ſcrofulam referendis infeſtantur, ii ſemper in iuventute vitii ſcrofuloſi qualicunque gradu laborarunt, ac diſpoſitio ad illud denuo concipiendum vel alendum in ſyſtemate lymphatico atque glanduloſo remanſit. H. MERCURIALIS *) & RUSSELL **) teſtantur, in iis, qui iuventute ſcrofulis affligebantur, haſce poſt annum 40 & ultra repullulare ſolere. In feminis hoc poſt ceſſationem menſtruorum haud raro uſu venire & mammarum atque uteri potiſſimum indurationibus ſe tunc malum oſtendere, vulgata obſervatio eſt †).

Plane vero hic exceptas velim ſtrumas proprie ſic dictas endemias, quae fere adultas ſolum infeſtare conſueverunt mulieres, nec in infantes cadunt. Praeterea ab innumeris fere cauſis in adultis glandularum tumores oriri poſſunt, licet nun-

*) De morb. pueror. L. I. cap. 5.

**) Oecon. nat. in morb. gland. p. 128.

†) SELLE med. clin. p. 328.

nunquam ſcrofulis laboraverint & a ſcrofuloſa diatheſi prorſus exiſtant immunes. Tales vero tumores ad ſcrofulas minime referendi ſunt, ſaltem *ſpuriarum* ſcrofularum nomine diſtinguendi, de quibus poſtea ſigillatim tractabimus.

Sed cauſae adhuc paulo curatius disquirendae ſunt, cur iunior potiſſimum aetas ſcrofulis obnoxia ſit. Et varias quidem eas deprehendimus. Bene BERNARDUS GORDONIUS *): *Pueri ſunt guloſi*, inquit, *& peioris regiminis communiter, & membra magis parata ratione raritatis; ſenes autem utplurimum ſunt melioris regiminis & membra ſunt ſolida & non recipiunt ita ſuperfluitates: quare ſcrofulae magis multiplicantur in pueris quam in ſenibus.*

Praeterea in iunioribus ſyſtema lymphaticum ratione reliqui corporis longe ſpectabilius eſt, omnesque eius partes ampliores longe ac maiores, (ſimul vero & debiliores, laxiores) quam in adultis. Functio quoque ſyſtematis lymphatici in illis longe ſolemnior maiorisque momenti eſt, ac in hiſce. Etenim illud humorem nutritioni dicatum vehit; pueri vero adhuc in incremento ſunt conſtituti, maiori proinde nutritione egent iam adultis, qui reſtitutione ſolummodo amiſſi opus habent. Hinc quodammodo clarum fit, cur iuniores praeſertim morbis ſyſtematis lymphatici laborent. — In his praeterea glandulae molliores, inertiores, minus elaſticae, ad tenaces impactos humores propellendos & expediendos non ſatis validae totumque corpus laxum & debile eſt. Quippe dum in ea aetate ſumus, vitam quidem ſed debilem degimus; magnaque illa laxitas, qua omnes corporis

*) Lil. medicinae p. m. 93.

poris noſtri partes in infantia affectae ſunt, non ſolum innumeris morbis anſam praebet, ſed vel inprimis efficit, ut glandulae, organa omnium debiliſſima & ex parte ſecretioni deſtinata facillime corrumpi poſſint *). Tempore pubertatis vero glandulae earumque tunicae magis fiunt elaſticae **) totusque corporis habitus firmior toroſiorque. — Quod ad fluida attinet, ea in infantibus viſcida ſunt, pituitoſa tenacia, nec bilis, optimus acidi viſcidique domitor, adhucdum ſatis valida. — Maiorem humorum in pueris ad caput impulſum ad frequentem ſcrofularum in collo ſobolem excitandam †) aliquid conferre, veroſimile omnino eſt; unica tamen cauſa, cur eae iuniori aetati privae ſint, dici nequit, cum etiam in aliis locis, praecipue in meſenterio ſcrofulae apud infantes oriantur aliaeque praeter dictam rationes exſtent, cur in collo potiſſimum cernantur. (§. 8.)

Quae quidem ſunt potiores cauſae, iuniorem praeſertim aetatem morbo noſtro obnoxiam reddentes. Hoc tamen non impedit, quo minus ſaepe ſcrofulae & affectus ſcrofuloſi pubertatis tempore non imminuantur, ſed ad virilem aetatem reſtent, quin in ſeros usque annos porrigantur; vel ſaltem crebras per totam vitam recidivas faciant. Sic apud Clmum IANIN ††) exemplum legimus viri 49 annorum ophthalmia ſcrofuloſa cum ectropio palpebrae inferioris & ulceribus ſcrofuloſis laborantis, qui inde ab infantia cum acrimonia ſcrofuloſa erat

---

*) RUSSELL oecon. nat. Cap. IV. p. 64. 65.
**) ibidem p. 95.
†) HOFFMANN opp. omn. Suppl. II. p. 427.
††) *Abhandl. und Beobacht. über das Auge* p. 334.

erat conflictatus; item exemplum ulcerum corneae ſcrofuloſorum in viro 40 annorum *), & ſ. p.

§. 28.

Quatenus ſequior ſexus ſcrofulis praecipue obnoxius. Analogi quidam morbi in animalibus brutis occurrentes.

Scrofulae ſequiori ſexui magis familiares eſſe quam potiori communiter dicuntur **). Religioſam valde huius rei rationem arguit DOLAEUS †), quia nempe foeminae inſigniter collo ſuperbire ſoleant, illudque mira ornamentorum varietate, torquibus, margaritis &c. veſtiant, iram divinam loco horum ornamentorum excreſcentiis morboſis collum defoedare. — At vero cum grano ſalis accipiendum eſt aſſertum, foeminas magis obnoxias eſſe vitio ſcrofuloſo, quam maſculos. Vulgares enim iuniorum hominum ſcrofulae absque ullo diſcrimine pueris aeque ac puellis infeſtae ſunt, uti quemlibet experientia docet. Cum vero medici ſtrumas iuguli endemias cum ſcrofulis proprie dictis plane confuderint, illaeque priores ſolum fere femininum ſexum ornare conſueverint, facile perſpicitur illius poſitionis nimis univerſalis fons & ſcaturigo. Praeterea inter adultos tumoribus ſcrofuloſis infeſtatos longe plures ſunt feminae, quam mares; quin ad omnis generis glandularum tumores ſequior ſexus prae potiori valde inclinat. Ratio haud obſcura eſt. Debile & laxum corpus infantibus generatim absque ſexus diſcrimine competit. Ex adultis vero feminina corpora in-

 fan-

*) ibidem p. 312.
**) HOFFMANN l. c. p. 428. aliique.
†) encyclop. chir. p. 605.

fantilibus longe magis ſunt analoga, quam maſculina. Molliora, laxiora, flexiliora, debiliora ſunt, humorum pleniora. Non ſibi ipſis ſolum nutritium humorem parant feminae, ſed & alendae tum in utero, tum etiam per aliquod tempus extra illum proli ſunt deſtinatae; ſyſtematis proinde lymphatici munus latius in ſequiori ſexu patet ac in potiori, glandulae reperiuntur ſpecioſiores mollioresque, lympha magis abundat & peccans magis nocere poteſt. — Omnia conſpirant ad facilitandas in feminis glandularum obſtructiones tumoresque, qui innumeris occaſionibus, menſtruorum ſuppreſſione, retentione lochiorum, lactis depoſitione, refrigerio, ipſa graviditate &. ſ. p. haud raro in illis uſu veniunt.

Subiungamus pauca de morbis, ſcrofulis hominum analogis, in animalibus brutis occurrentibus.

Porcis familiaris eſt morbus, (Scrofula Chalaſis SAUV. ſp. 7. Gallis *Ladrerie des porcs*) quo ſub lingua, in cavo oris, in collo, quin per totum corpus inter carnes & in ſubſtantia adipoſa generantur tubercula variae magnitudinis & materiei, quae Germanis *Finnen* vocantur & ab omni fere aevo ſcrofulis analoga reputata ſunt, ita ut ipſum *ſcrofularum* vocabulum a ſcrofis ſ. porcis derivetur. Vox rauca, languor, laſſitudo, ut vix pedibus inſiſtere poſſit animal, ſtupor & ſomnolentia aliaque ſymptomata morbum iſtum comitantur. Cauſam credunt humorum cacochymiam, quam alii a ſola guloſitate porcis familiari, alii ab ingluvie carnis repetunt Recentius vero cognitum, tubercula iſta porcina eſſe veros vermes veſiculares *); proinde ana-

*) Cl, GOEZE *neueſte Entdeckung, daſs die Finnen der Schweine wahre Blaſenwürmer ſeyen.* 1784.

analogia iſtius morbi cum hominum ſcrofulis hodie amplius aſſumi poteſt nulla. Nuperrime praematura morte exſtinctus WERNER *) exemplis confirmavit, tales vermes veſiculares, tubercula veluti in porcis referentes (*Finnen*) etiam in hominibus quandoque occurrere, quin eo procedit, ut quoscunque cyſticos tumores forſan vermes veſiculares eſſe, ſuſpicetur. Si hoc verum eſſet, omnia, quae ſupra de cyſticis tumoribus ſcrofuloſis commentati ſumus, vana eſſent, irrita & falſa. Attamen cum geneſis talium in morbo noſtro absque vermibus veſicularibus ſatis eluceſcat, cum porro, eos a vitio ſcrofuloſo excitari omni dubio careat, inſuper maſſae ſteatomatoſae in ingentem ſaepe molem excreſcentes ab omni vermium natura plane abhorreant, nullo modo a me impetrare poſſum, ut iſti ſententiae ſubſcribam.

Morbus *equorum*, quem Galli *le fercin*, Germani *den Wurm der Pferde* vocant, ſcrofulis hominum analogus cenſetur **), & a SAUVAGESIO ſub ſcrofulae genere commemoratur. (*Scrofula farcimen* ſp. 3.) Diſtinguitur in farcimen benignum & malignum. Eſt morbus chronicus, contagioſus, qui a peculiari miasmate produci videtur. In cute paſſim tubercula oriuntur, maiora, minora, plus minusve dura, tarde ſuppurantia & in ulcera demum maligna tranſeuntia. Accedit copioſus muci e naribus effluxus, animalia langueſcunt, emaciantur & ſ. p. Ceterum de hoc equorum morbo vid. BOURGELAT in Encyclopaedia &

---

*) Vermium brevis expoſitio ſecunda, ed. FISCHER, Lipſ. 1786.

**) Ill. MEZGER *Med. gerichtl. Bibl.* Vol. II. p. 131.

& HEERENQUIST in Vetenſk. Akad. Handlingar, for år 1768. Vol. XXIX p. 344. ſq.

Cl. WHITE *) variis rationibus monſtrat, morbum *ovium*, qui *die Fäule* (Rob) dicitur, in hoc animalium genere idem eſſe, quod in hominibus ſcrofulae.

IDEM refert **) etiam, *ſimias* in Anglia perſaepe ſcrofuloſas fieri.

GREISELIUS †) *leaenam* ſecuit per totum corpus ſtrumoſis affectam tumoribus, ſimulque hydropicam; glandulam ſpeciatim in meſenterio, pancreas Aſelli vocatam mole ac duritie aliis praepollentem invenit. Hunc leaenae morbum praeter victus mutationem praeſertim aeri in noſtris regionibus iſtis animalibus non naturali (frigidiori ſcil.) tribuit.

Etiam *feles* ſcrofulis obnoxias eſſe, vulgo ferunt ††); & revera equidem ſaepe in felium collo tumeſcentias glanduloſas tetigi. Neque minus pluries in *canibus* circa collum obſervavi tubercula ſcrofulis haud diſſimilia catenatim cohaerentia, haud tamen chronica, ſed brevi evaneſcentia.

---

*) *Ueber Scrofeln und Kröpfe* p. 20.

**) l. c. p. 21.

†) M. N. C. Dec. I. ann. 2. obſ. 5. p. 6.

††) SAUVAGES Noſol. meth. T. III. P. 2. p. 408.

SECTIO

SECTIO III.

De ſcrofularum indole & cauſis.

§. 29.

Generalia quaedam circa naturam vitii ſcrofuloſi.

Suppeditata iam ſcrofularum hiſtoria ad cauſarum morbi noſtri conſiderationem veraeque eius indolis atque naturae ſcrutinium devolvimur. Et primo quidem loco de cauſa proxima locuturi ſumus, ſubiungendo dein praediſponentes atque procatarcticas cauſas varias. At vero illud negotium non adeo expeditum eſt, ſed medicorum mire torſit ingenia. Magnus profecto obtinet in vitii ſcrofuloſi indole determinanda diſſenſus, ſententiarumque diſſidium inſigne; ita plane, ut quot diverſos auctores evolvas, tot fere diverſas hypotheſes invenias. Vix praeterea cuidam morbo tanta cauſarum remotiorum varietas aſſignatur, ac ſcrofulis, recteque pronunciat Dn. FAURE *): *En parcourant les auteurs, qui en ont ecrit, on voit, qu'il n'y a presque point de cauſe, qu'on ne lui ait aſſignée.*

Omnia morbi noſtri phaenomena docent, peculiare vitium in corpore adeſſe. Glandularum quidem obſtructiones ab innumeris cauſis oriri poſ-

*) Prix de l'ac. de ch. T. III. p. 25.

poſſunt; ſcrofuloſi vero tumores genium ab omnibus aliis diverſum ſervant. Habitus ſcrofuloſus ſingularis, ulcerum peculiaris conſtitutio, ſecundarii morbi multum proprii habentes, ortus totusque decurſus morbum ſui generis arguunt; cuius eſſentiam ſequentibus contineri momentis, ſola phaenomenorum accurata contemplatione iam eruitur. Manifeſto nempe adeſt

1) *Lymphae vitium*, uti clare docent organa prae reliquis affecta, lymphaticae nempe glandulae totumque lymphaticum ſyſtema. Frigida porro tumorum natura ſanguineae congeſtioni prorſus contraria idem innuit, confirmant denique omnia morbi phaenomena. Nullum tamen dubium, ſanguinem quoque infectum eſſe. Omnis quippe lympha ſanguini admiſcetur indeque iterum ſecernitur ſeu potius roris forma in cellulosam exſudat vaſis dein lymphaticis reſorbenda. Ad ſolam tamen lymphaticam vel lymphae analogam partem ſanguinis, qui in plerisque ſcrofuloſis e vena miſſus albida mucoſa cruſta obductus apparet, vitium reſtringi videtur. — Hinc & non lymphaticae ſolum, ſed omnis generis glandulae ſucceſſive afficiuntur, cum ad eas materia pro ſecretione afferatur ex ſanguinis maſſa & ad pleroſque ſecretos humores conſtituendos lymphatica pars plurimum conferat. — Cuiusnam vero generis vitium ſit lympham depravans, itidem haud difficulter coniicitur. Eſt nempe

α) *Tenacitas lymphae*, pronitasque ad coagulum. Quid enim aliud docet glandularum inprimis lymphaticarum, obſtructarum & tumidarum frequentia? quid aliud humorum ex ſcrofuloſis ulcerationibus promanantium facilis coagulatio? quid aliud alba in ſanguine cruſta? quid

quid aliud vulnerum facilis in ſcrofuloſis coalitus? (§. 25.) quid denique aliud pituitae in toto corpore abundantia, tumidulusque variarum corporis partium habitus? & ſ. p. — Sed Cl. FABRE *) aſſerit, lymphae inſpiſſationem non eſſe cauſam tumorum glandularium, reſolventia hinc remedia in ſcrofulis nullius uſus eſſe; ſequentibus ad ſententiam ſuam confirmandam utens obſervationibus. Fonticuli in brachio excitati brevi tollebant tumores glandulares in ſcrofuloſo infante antea remediis fundentibus, inprimis mercurio, fruſtra tractatos. In iuvene tumeſcentiae poſt carioſi dentis evulſionem evaneſcebant, & in virgine poſt catameniorum obſtructorum reſtitutionem. Omnia haec auxilia, pergit Auctor, nullam reſolutionis fuſionisque ideam involvunt, ſed potius oſtendunt, ſolam remotarum cauſarum amolitionem curandam eſſe. Reſolventia vero remedia quod ſaepe auxilio fuerint, ex congrua ſimul obſervata diaeta, vel vi, quam varia iſtorum remediorum ſimul poſſident, per diverſa colatoria evacuante, vel ſimul excitato fonticulo derivat; externorumque remediorum utilitatem non niſi eam eſſe ſentit, ut partibus affectis quendam flexilitatis gradum concilient, evacuantium atque derivantium effectum adiuvantem. — Quidquid horum ſit, inde tamen lymphae in ſcrofuloſis ſpiſſitudo vel ſaltem ad coagulum pronitas, quam tot phaenomena comprobant, minime refellitur. Fonticuli atque

---

*) *Unterſ. aus der Arzneywiſſ.* p. 180. ſq.

atque evacuantia remedia educunt acrimoniam, in multis ſaltem caſibus ſpiſſitudinis cauſam Nec tamen nego, ſolam irritationem absque lymphae ſpiſſitudine ſaepe glandulas tumefacere, quae tunc ablata cauſa irritante v. c. dente carioſo, ſubſident. Tales vero glandularum tumeſcentias cum veris ſcrofulis cave ne confundas; excipe ſi diatheſis ſcrofuloſa ſyſtemati lymph. inhaerens ab irritatione in actum ducta fuerit.

Praeter hanc lymphae tenacitatem ſimul β) *Acrimonia* peculiaris adſit neceſſe eſt vel ſaltem pronitas lymphae ſpiſſae ad concipiendam acritatem. Eſt, ut cum BOERHAVIO loquar, quandoque acrimonia comes, aliquando pediſſequa tenacitatis. Acrem vero vel acrimoniae capacem in ſcrofuloſis lympham eſſe, docent plura. Tumorum initio frigidiſſimorum ſubſequens inflammatio & ulceratio, ita quidem ut difficillime conſolidanda ſaepeque maligna inde emergant ulcera, — deſtillationes acres, variarum corporis partium eroſiones, ſcabies capitis, oſſium corruptio & ſ. p. — omnia, quod dixi, ſatis confirmant. Initio quidem plerumque humores blandi videntur omniaque frigida acritati contraria. Dum vero aliquamdiu ſtagnavit in glandulis lympha, acrimoniae ſymptomata ſeſe efferunt. Generatim ſtagnatio in carnibus glandularum praeprimis apta videtur ad peſſimam acrimoniam concipiendam, id quod carcinomata ex ſola vehementi aut diutina glanduloſarum partium preſſione haud raro oriunda ſatis comprobant. Non tamen in noſtro morbo acrimonia conſiderari poteſt, tan-

tanquam merus ſtagnationis effectus; cum acrimoniae indicia ſaepius ſeſe efferant, antequam ſtagnatio apparet, vel ſaltem ſimul cum ſtagnatione conſpiciantur, uti v. c. ſcabies capitis in pueris illamque demum excipientes glandularum infarctus monſtrant. Peſſime praeterea ſaepe in corpore acrimonia ſcrofuloſa dominatur absque unquam praegreſſis infarctibus glandularum. — Peculiaris indolis acrimonia ſit neceſſe eſt, cum a nullo alio cognito acritatis genere producantur affectus iis acrimoniae ſcrofuloſae ſatis ſimiles, etiamſi aliae acrimoniae v. c. venerea, ſcorbutica, varioloſa &c. ſeſe cum ſcrofuloſo vitio coniungere illudque tunc peius reddere queant.

Cl. BELL *) exiſtimat, in ſcrofulis acrimoniam eſſe prorſus nullam. Ait: „Pus, quod in tumoribus ſcrofuloſis colligi ſolet, diu ibidem incluſum haerere poteſt, absque multo inde oriundo dolore vel partium prope iacentium eroſione. Abſceſſus tales per integros annos absque ulla moleſtia durarunt. — Remedia contra imaginariam acrimoniam ſcrofuloſam iuxta meas obſervationes nunquam medelam promovent“ Sed innumera in morbo ſcrofuloſo acritatem arguentia ſymptomata ſatis pro contrario militant. Ceterum BELLIO bene reponit Cl. HECKER **): 1) Acrimoniam non idcirco, quod lente agat, eſſe nullam. Lenti effectus cauſam eſſe viſciditatem tenacitatemque puris ſcrofuloſi. Etiam car-

*) *Abh. von den Geſchwüren* p. 277.
**) *Abhandl. über den Tripper* p. 57. 58.

carcinomata ſaepe per integros annos manent occulta, & anne in his acrimonia? 2) Mercurium, antimonialia, cicutam, quae in aliis caſibus indubitatas acrimonias v. c. ſyphiliticam, cancroſam &c. doment, etiam in ſcroſulis eſſe ſatis efficacia.

2) Non vitiata ſolum lympha, ſed etiam *Colluvies lymphatica* ſive copia humoris lymphatici exſuperans in ſcrofulis adeſt, quod iam notaſſe videtur AVICENNA *) inquiens: colla humidarum complexionum ſcrofulis maxime eſſe ſubiecta. VOGELIUS **) ſcrofulas ex humore lymphatico tum vitio tum *copia* peccante produci pronunciat. Abundantiam vero ſatis commonſtrat iunior aetas morbo noſtro inprimis obnoxia, in qua humores, inprimis ſeroſos abundare conſtat, tum etiam tota corporis ſcrofuloſorum conſtitutio, quae laxum, humidum, ſucculentum refert.

3tio in ſcrofuloſis occurrit *ſolidorum* corporis *debilitas laxitas*que, quae in ſcrofula *meſenterica* utplurimum cum irritabilitate fibrarum ſenſibilitateque imminuta, in *proprie dicta* vero cum aucta eadem coniuncta eſſe videtur. Talis debilitas, ſive connata ſit, ſive acquiſita, tum ad cauſas ſcrofularum praediſponentes pertinet, tum vitio ſcrofuloſo iam in corpore exorto atque confirmato in dies augetur. Iam a priori in morbo ſcrofuloſo ſolidorum infirmitatem ſuſpiceris. In qualicunque enim obſtructione efformanda praeter humorum ſpiſſitudinem ſolidorum quoque vitium, inprimis eorum debilitatem inertiamque concurrere debere, in

*) L. IV. Fen. III. Tract. 2. cap. 9.
**) Praelect. §. 715.

in pathologia recte conſtituitur, cum, ſi illa ad humores propellendos ac ſubigendos ſatis apta validaque ſint, vix eorum ſpiſſitudo oriri poſſit vel ſaltem ſtagnatio atque obſtructio facile caveatur. — Ceterum univerſa corporis ſcrofuloſi conſtitutio, aetas iunior, multaque morbi phaenomena infirmitatem ſatis arguunt. Sic, docente BERTRANDI *), apertis abſceſſibus ſcrofuloſis muſculi collapſi reperiuntur pallidique, id quod ſolidorum inertiam pituitoſamque cacochymiam indicat.

4to. Uti univerſi corporis partes ſolidae, ita inprimis *ſyſtema lymphaticum atonia* quadam atque *inertia* laborare videtur, cum ad glandulas conglobatas lymphaticaque vaſa morbus potiſſimum adſtringatur. Debiliorem quaſi partem corporis ad ſcrofulas diſpoſiti dixeris illud ſyſtema, in quam robuſtiores partes perpetuo onus ſuperfluum deponunt. Conſentit Cl. BELL **), affirmans, in cachexia ſcrofuloſa ſemper totius corporis conſtitutionem debilitatam, inprimis vero ſyſtema lymphaticum imbecillum eſſe. G. IOSEPHI †) diſpoſitionem ad obſtructiones glandularum meſenterii & ſubſequentem atrophiam quaerit in vaſis meſenterii *nimis laxatis & debilitatis & ſua iam natura ad atrophiam pronis*. — Hinc explicare poſſumus, cur iuniores potiſſimum morbo noſtro obnoxii & ex adultioribus feminae prae maſculis. In iunioribus enim atque ſequiori ſexu ſyſtema lymphaticum ſpecioſius, diffuſius, laxius, infirmius eſt. (§. 27. 28.) Haereditariam ad ſcrofulas diſpoſitio-

*) l. c. p. 361.

**) l. c.

†) Diſſ. Obſſ. anatom. & obſtetric. Helmſtad. 1785. p. 13.

ſitionem connata dicti ſyſtematis debilitate contineri, non ſine veriſimilitudine dixeris. — Forſan tamen ſola laxitas non ſufficit ad morbi ortum explicandum, ſed cum CULLENO *) *peculiaris conſtitutio* ſyſtematis lymphaticorum vaſorum atque glandularum aſſumenda eſt; — talem quidem intelligas innatam ſpecificam conſtitutionem, qua illud in contentum humorem ita agit, ut hic peculiarem illam corruptionem, quae in morbo ſcrofuloſo occurrit, patiatur, talesque motus atque oſcillationes facit, quae glandularum obſtructioni, tumeſcentiae, irritationi, inflammationi, exulcerationi ſtata vitae periodo producendis faveant. In plurimis ſaltem caſibus ſyſtema lymphaticum maniſeſto laxitate quadam & infirmitate laborat, nec tamen oriuntur ſcrofulae in omnibus characteribus declaratae, ſed alii morbi v. c. hydrops, glandularum lymphaticarum infarctus non ſcrofuloſi, vel ad ſcrofulae ſaltem proprie dictae (vix non ſemper haereditariae) perfectionem non evecti.

§. 30.

Veterum medicorum HIPPOCRATIS, GALENI &c. de natura ſcrofularum ſententia.

Quae §. pr. monſtravimus, lymphae nempe ſpiſſitudinem ac pronitatem ad coagulum uti & peculiarem acrimoniam nec non lymphaticorum humorum abundantiam, ſolidorum porro infirmitatem ſyſtematisque lymphatici inertiam, atoniam vel peculiarem conſtitutionem in morbo ſcrofuloſo ſub-

*) l. c. §. 1688.

ſubeſſe, ex ſola phaenomenorum eius contemplatione ſollicita, paucis indubitatis ratiociniis in ſubſidium vocatis facile evincuntur. Aſt vero ſi propius quaeſiveris, cuiusnam praeciſe generis & indolis iſta humorum dyſcraſia corporisque cachexia ſit, res non adeo expedita eſt, ſed caligine circumfuſa; inſigniterque variant eruditorum ſententiae. Liceat earum praecipuas enarrare atque diiudicare.

Lubens omitto PARACELSI, HELMONTII, CARTESIANORUM aliorumque opiniones ſeu potius deliramenta circa vitii ſcrofuloſi naturam, quae in epitomen redacta recenſet DOLAEUS *); — quum eorum futilitas & ex ſola imaginatione origo primo ſtatim intuitu appareat.

Quod ad veteres Graios attinet, HIPPOCRATES ex humore pituitoſo morbum deducit. *Ex pituitoſa*, inquit **), *& lenta fluxione ſtrumae generantur.* Simile quid GALENUS ***) innuit, nempe *non ex calida materia, ſed ex pituitoſiore & frigidiore ſtrumas conſtare;* & ſupervacanea quidem †), quae a valentioribus partibus, ob redundantiam vel qualitatem expellantur, in imbecilliores procumbere, hinc glandulas natura ſua aliis partibus debiliores facile fluxiones recipere, & maxime, quae rariores natura ſint; quod etiam HIPPOCRATES ††) confirmat, dicens: *hae quidem*

 (glan-

*) Encyclop. chir. p. 609.
**) L. de glandulis cap. 3.
***) Comment ad aphor. Hipp. III. 26.
†) GALENI Meth. med. L. XIII. cap. 5.
††) l. c.

(glandulae ſcil.) *inter corporis partes cavae ſunt & facile humoris abundantiam excipiunt.*

PAULUS AEGINETA & AETIUS perhibent, humorem atrum ſive melancholicum ſaepe pituitae admiſceri & hinc malignas ſuas (§. 5.) derivant ſtrumas. Poſteriorum ſeculorum medici Galenicorum ſectae addicti cum iſta antiquorum de ſtrumis theoria ſatis conſpirant & ex quatuor GALENI humoribus cardinalibus ſtrumarum geneſin variamque qualitatem explicant. Praecipue pituitam inertem & ſuccum alimentarem ſuperfluum craſſiorem in corporibus debilibus phlegmaticis generatum defluere ad glandulas ibique ſtagnare ſcribunt, ſaepius tamen, inprimis in adultioribus, humorem quoque melancholicum accedere atque pituitoſo admiſceri, indeque glandulas ſcirrhodes peiorisque indolis ſtrumas oriri. In ſcrofulis inflammatis ſanguineum humorem prae ceteris ſubeſſe autumant; quare iam AVICENNA ſtrumas ſuas inflammatorias a ſanguinis fervidioris admiſtione deducit. Exulcerari vero ſcrofulas malignasque quin carcinomatoſas fieri, ab irruente bilioſo acri humore ſentiunt.

Si iſta veterum vocabula quatuor principales humores deſignantia, rite intelligantur, iſtos iam aliquali modo ſcrofularum indolem cognitam habuiſſe, negari vix poterit. Attamen, cum iis praecipua mali ſedes, ſyſtema puta lymphaticum, prorſus adhuc ignota fuerit, praeterea ſignificatus vocabulorum praecipuos humores denotantium nimis vagus ac incertus ſit, veterum de morbo noſtro ideam mancam, obſcuram & inſufficientem pronunciare nemo dubitabit.

§. 31.

§. 31.

Doctrina WILLISII & GAMETI de ſcrofularum natura.

Non contenti quidam apertis & ſenſibus obviis morborum cauſis ad incerta, dubia, occulta, oculos latentia, aegritudinum indolem explicare conantes confugerunt. Ita quoque ſcrofularum originem repetiere nonnulli a liquore nerveo, in glandulis ſtagnante, inſpiſſato, corrupto. Ex his fuit dudum WILLISIUS *) & recentius ſimilem ſententiam quaſi novam propoſuit Dn. GAMET **). Hic acrimoniam tum ſcrofuloſam tum cancroſam a ſucci nervei depravatione derivat, huiusque illam diminutivum nuncupat. Credit enim ſcrofuloſum virus cancroſo valde eſſe ſimile, cum remedia in cancro utilia ſanent quoque ſcrofulas & quidem longe adhuc facilius, iique, qui in iuventute ſcrofuloſi erant, in ſenectute carcinomati valde obnoxii ſint. Sed de his alio loco. — Quod ad hypotheſin illam, ſuccum nerveum depravatum cauſam ſcrofularum proximam conſtituere, attinet, prorſus eam reiiciendam eſſe, vix quisquam non iudicabit. Quisnam a fluido nerveo, quod, ſi revera exiſtat, inſigni ſaltem ſubtilitate polleat, neceſſe eſt, tam craſſos glandularum tumores derivaverit? Dein primaria mali ſedes, lymphaticum ſyſtema, mitis porro, indolens, difficillime inflammationem concipiens ſcrofularum natura, aliaque huic opinioni prorſus contraria ſunt.

M 4 §. 32.

*) vid. DOLAEUS l. c. p. 610.

**) Theorie nouvelle ſur les maladies canceręuſes. Paris 1772. P. I. p. 262. ſq.

§. 32.

Quosdam vitium ſcrofuloſum pro ſyphilidis ſobole habere.

Iam ad ſententiam trutinandam accedamus, quae plurimorum Cll. Virorum puncta tulit, cuiusque curatior diſquiſitio maximi omnino momenti eſt. Sunt nempe, qui exiſtiment, *miasma venereum degeneratum* i. e. plures per generationes propagatum, eoque ipſo, uti & a medicamentis, inprimis mercurio, ab aliis porro miasmatibus cum illo combinatis, increſcente demum generis humani imbecillitate, ita ſenſim immutatum ac transformatum, vel ita mitigatum, enervatum atque cicuratum, ut non amplius manifeſta vehementioraque ſymptomata ſyphilitica poſſit producere, conſtituere cauſam materialem, veram, efficientem, proximam affectuum ſcrofuloſorum; verbo ſcrofulas eſſe morbum venereum larvatum. Hancce opinionem iam fovet ASTRVC *), qui rhachitidem eique analogos morbos, ſcrofulas, glandularum meſenterii ſcrofuloſos tumores, atrophiam, oſſium diſtorſionem &c. communiter ſyphilidis degeneratae ſequelam eſſe, aſſerit. Etiam MAJAULT **), ROSENSTEIN ***), BIERCHéN †), HAUSMANN ††) aliique morbum noſtrum venereae eſſe originis credunt. Quin RIBEIRO

*) Maladies veneriennes T. II. p. 7. cf. p. 73.

**) Prix de l'ac. de ch. l. c. p. 318.

***) *Kinderkrankheiten*, ed. 4. Ill. MURRAY p. 677.

†) v. *Krebſe* p. 38. ſq.

††) Diſſ. de morbis venereis larvatis. Gotting. 1778. §. XIX.

BEIRO SANCHEZ *) non dubitat pronunciare, ſyphiliticum virus latens minusque effectibus conſpicuum omne propemodum genus humanum infeciſſe & cauſam conſtituere hodie tam vulgarium morborum hypochondriacorum, hyſtericorum, ſcrofuloſorum, rhachitidis, rheumatismi & arthritidis, phthiſium, varii generis obſtructionum &c. in genere, hodiernae generis humani debilitatis; & Ill. CAMPERUS **) eo procedit, ut ſumi poſſe innuat, inter 100 homines 95 qualemcunque ſyphilidis ſcintillam haereditate inde a paucioribus pluribusve generationibus accepiſſe vel ſibimet ipſos contraxiſſe. — Secundum horum Cll. virorum ſententiam proinde in quolibet morbo chronico, cuius non ſtatim patuerit cauſa, ſyphilidis ſuſpicio foret quilibetque malus praeſumendus, donec probaretur contrarium.

Sed iam videamus, quaenam argumenta afferant iſti, qui ſcrofulas a venereo viru natales ducere perhibent. Fatendum ſane, haud futilibus rationum momentis hanc ſententiam ſtabiliri eique quandam veroſimilitudinis ſpeciem conciliari poſſe. Primo quippe multa exiſtit dyſcraſiam ſcrofuloſam inter & ſyphilidem analogia. Utrumque malum in humoribus maxime ſeroſis & lymphaticis ſedem habet, utriusque ſymptomata inter ſe valde conveniunt. Sunt v. c. topicae inflammationes, varii generis exulcerationes, caries,

 her-

*) In opere poſthumo: ſur les maladies veneriennes a Cl. ANDRY 1785. edito.

**) Oploſſing der Vraage door het Bataaſſch Genootſchap te Rotterdam voorgeſteld &c. Amſterdam 1783. Cap. 7.

herpes aliique morbi cutanei, ſtaſes, articulorum fungi, maculae corneae, aliaque oculorum mala & ſ. p. Quin ipſae glandularum, lymphaticarum, aliarum, tumeſcentiae ſyphilide infectis maxime ſunt familiares. — Quas b. BIERCHéN deſcribit, ſcrofulae, ſecundum ipſius ſententiam & confirmantibus morborum, quas ample enarrat hiſtoriis, manifeſte ſunt venereae. Scrofulam moluccanam SAUVAG. ſp. 8. quam BONTIUS *) deſcripſit, quaeque tumoribus duris in facie & extremitatibus, cum artuum dolore erumpentibus facileque in ulcera maligna, calloſis & revolutis marginibus inſtructa abeuntibus, ſeſe manifeſtat, ſyphilidis progeniem eſſe, recte cenſet CARTHEUSER **).

Alterum argumentum praebent infantes a parentibus venerea labe infectis prognati. Hos enim ſcrofuloſis affectibus frequenter infeſtari, teſtatur cum Cllmis SAUVAGES ***), CHARMETTON †), MAJAULT ††), experientia. A proſtibulis nati infantes ſaepiſſime ſunt ſcrofuloſi.

Cl. SELLE †††) a ſuppreſſa vel neglecta gonorrhoea ſaepiſſime herpetica oriri exanthemata obſervat, quae tantum non ſemper ſcrofuloſae acrimoniae ſignis iuncta ſint. Hoc ab illis ſaltem, qui vere veneream gonorrhoeae virulentae indolem

---

*) Hiſt. natural. & med. Indiae Oriental. L. II. cap. 19. p. 33.

**) de morbis endemiis p. 185.

***) Noſol. T. III. P. 2. p. 409.

†) Prix de l'ac. de chir. l. c. p. 176.

††) Ibidem p. 321.

†††) Med. clin. p. 214.

lem cenſent ad confirmandam ſcrofulae originem ſyphiliticam poſſet in auxilium vocari.

Ultimum argumentum conſtituit medendi methodus, quae haud valde diſſimilis ſcrofulis & venereae lui decernitur. Mercurialia ſaepe in ſcrofulis prodeſſe, quidquid nonnulli obſtrepent, practicos haud fugit & alibi plenius dicetur; ut de aliis remediis antiſcrofuloſis in ſyphilide quoque interdum utilibus, antimonialibus puta, lignorum decoctis, cicuta & ſ. p. taceam.

§. 33.

Syphiliticae ſcrofularum origini repugnat earundem antiquitas.

Verum enim vero quantumvis ſpecioſa videri poſſint argumenta veneream vitii ſcrofuloſi indolem probantia (§. pr.), hypotheſis tamen iſta, ſi penitius res conſideratur omniaque rite perpenduntur, corruit. Nec deſunt cell. Viri permulti (quin hodierni medici tantum non omnes) qui illam plane falſam iudicant, ex quibus Dn. GOURSAUD *) P. A. BOEHMERUM **), & cuius magna auctoritas eſt, CULLENUM †) nominaſſe ſufficiat.

Et profecto, ſi modo conſideremus, veteribus dudum quin per multa ſaecula ante ſyphilidis ortum viventibus iam notas fuiſſe ſcrofulas, harum a venereo miasmate perfectam independentiam lucu-

*) Prix de l'ac. de chir. l. c. p. 295.

**) Diſſ. de cognoſc. & ſanand. ſcrofulis. Hal. 1783. v. POSSE.

†) l. c. §. 1690.

luculenter cognoſcimus. At vero ſcrofularum antiquitatem omnes, qui ſyphilidi in iis conſtituendis vel minimum tribuunt, tacite negant eo ipſo & b. HAUSMANN *) diſerte aſſerit, antiquos ſcriptores ſcrofuloſae cacochymiae mentionem non feciſſe. Operae igitur maximum erit pretium, morbi noſtri antiquitatem curatius diſquirere, cum inde plurimum ad naturam eius recte perſpiciendam concludi poſſit, licet huius generis ſcrutinia vulgo a medicis nimis fere practicis pro ſupervacaneis omnique utilitate caſſis declarentur.

Ex ſupra paſſim prolatis ſatis patet, medicos veteres Graecos & Romanos de choeradibus & ſtrumis tanquam glandularum tumoribus eſſe locutos. Inter pueriles potiſſimum morbos illas numerat HIPPOCRATES. (§. 27.) Loca, ubi ad hunc usque diem potiſſimum reperiuntur, antiquitus quoque notantur. (§. 7.) Cauſae, a quibus derivant ſcrofulas veteres medici, hodiernae morbi ideae ſatis congruunt. (§. 30.) Benignas malignasque diſcernunt curateque deſcribunt. (§. 26.) Difficilem morbi medelam hodie adhuc obſervandam optime iam CELSUS notat, qui ſtrumas quacunque methodo exſtirpatas facile iuxta cicatrices reſurgere, refert, quod ſcrofuloſis tumoribus vere characteriſticum eſt. Remedia denique veteres proponunt quamplurima poſtea ex parte recenſenda, quae ad hunc usque diem proficua deprehenduntur; & ſatis frequentem quoque & gravem iam olim morbum χοιράδες fuiſſe, docet ingens remediorum tum ſimplicium tum compoſitorum, externorum tamen inprimis farrago, a CEL-

*) diſſ. cit.

CELSO, PLINIO, SCRIBONIO, MARCELLO, ARETAEO, AETIO, NONO aliisque nobis relicta.

Quae quidem omnia perpendentibus maxime mirum videri poſſit, denegare quenquam antiquis morbi ſcrofuloſi notitiam. Attamen video, quae regeri poſſint dubiamque reddere ſcrofularum antiquitatem. Anne fortaſſis, quaeri poteſt, veteres ſub ſtrumarum nomine intellexerunt ſolas ſtrumas hodie proprie ita dictas, tumores nempe ad glandulam thyroideam cum ſcrofulis ab omni aevo confuſos? Reſpondeo, minime. Non enim ſolas bronchocelas veteres ſub ſtrumarum nomine intellexiſſe, ſatis apparet ex loco HIPPOCRATIS, qui ſtrumas inter puerorum morbos ponit, cum tamen bronchocele in adultam fere ſolam aetatem cadat. Etiam varia loca tumorum ab antiquis accurate notata ſatis noſtram ſententiam confirmant. — Obiici deinde poteſt, de peculiari cacochymia & habitu corporis ſcrofuloſi externo plane ſingulari & luculento ne unicum quidem verbulum apud antiquos medicos annotatum legi. An igitur illi ſub ſtrumis intellexere glandularum tumores non ſcrofuloſos, quales etiam hodie ſatis frequenter animadvertuntur? An ullo modo probabile eſt, Hippocratem aliosque antiquitatis medicos tam egregios alias morborum obſervatores, ut eorum ſollertia obſervandique acies vix a recentioribus attingi, nedum ſuperari queat, prorſus effugere potuiſſe cachexiae ſcrofuloſae eiusque ſignorum animadverſionem, ſi illa tunc temporis iam extitiſſet? An denique praeſumendum, plurimos iſtos doctiſſimos viros, qui ſyphilidem degeneratam in vitio ſcrofuloſo ſubeſſe aſſeruerunt, in lectione veterum tam parum fuiſſe verſatos, ut

ne

ne ex iis, quae in antiquorum monumentis de ſtrumis leguntur, intellexerint, ſi quae ſit, morbi noſtri antiquitatem? — Sed age videamus, quid ad haecce omnia regeri queat. Primo quidem antiquiſſimos medicos criteria dyſcraſiae ſcrofuloſae praetervidiſſe, mirum profecto non eſt, cum haec fere omnia praetervisa fuerint ante ipſum, quo vivimus, ſeculum. Porro veterum de ſtrumis placita egregie illuſtrantur a Latinobarbaris poſteriorum ſeculorum medicis, qui, licet dudum ante luis venereae ortum viverent, hodiernas tamen ſcrofulas tam accurate deſcribunt, ut illos alium ſubintellexiſſe morbum nullo modo ſumi poſſit; quin quaedam habitus ſcrofuloſi ſigna iam notant, (§. 13.) uti ex VALESCI, GUIDONIS, GORDONII aliorumque libris patet. — Deinde obſervandum duxerim, veteres medicos, Latinos, Graios, qui ſcripta nobis reliquerunt, in calidioribus degiſſe & medicinam exercuiſſe regionibus, Graecia & Italia. Et in talibus quidem malum leve utplurimum cernitur, nec, ceteris paribus, ad eum evehitur gradum, ac in frigidioribus. Hinc & iter in paullo calidius clima ſcrofularum medelam iuvat atque in noſtris regionibus malum hyeme valde ſaeviens mitigatur utplurimum aeſtatis tempore. Scrofulae ſunt regionum frigidiorum vel ſaltem temperatarum peculium, frigidiuſculo, nebuloſo, mutabili, humido coelo per magnam anni partem obſitarum, hinc in Anglia, Belgio, Germania, Gallia &c. frequentiores, peiores. In dictis vero terris forſan quoque olim dominabantur, licet cum certitudine nil determinari queat, cum monumenta de ſtatu medico harum regionum in antiquiſſimis temporibus prorſus deficiant. In calidiori vero magisque ſerena Italia,

Grae-

Graecia, malum minus frequens, levius & absque fere periculo fuit; quod veroſimiliter cauſa erat, cur antiquiſſimi medici vitium ſcrofuloſum fere negligerent, nec curatius indolem eius indagarent. Eadem vitii ſcrofuloſi morborumque ipſi analogorum in calidioribus terris lenitas forſan quoque explicat, cur de atrophia infantum pauca valde & vix quaedam diſtincta in antiquorum ſcriptis reperiantur. Quin & rhachitidem in calidiori climate minus frequentem aut fere incognitam eſſe, obſervatur *).

Unum adhuc argumentum trutinandum eſt, morbi noſtri antiquitatem dubiam reddens. Inſignis rhachitidem inter & vitium ſcrofuloſum exſtat analogia, poſtea curatius perpendenda; ita quidem comparata, ut te ab ea opinione, ſola varietate unius eiusdemque cauſae proximae ambos iſtos morbos diſcrepare, vix ac ne vix quidem divelli ſinas. Iam vero rhachiticus morbus recentius demum, nempe medio fere labente ſeculo decimo ſeptimo, exortus dicitur. Anne igitur maximo cum probabilitatis gradu conſtituitur, etiam ſcrofuloſum morbum novum eſſe, nec inde a priſcis exſtitiſſe temporibus? Minime.

Primo enim recentior rhachitidis ortus nondum absque ullo dubio ſuperſtite evictus eſt; quin multi, v. g. ZEVIANI **), RAYMOND †), CUL-

---

*) ZEVIANI, DELEVRYE ap. Cl. CAPPEL *über die Engliſche Krankheit* p. 16 & 105.

**) Della cura di bambini attacati della rachitide. cap. 2. p. 15. ſq.

†) Hiſtoire de l'elephantiaſis. Lauſanne 1767.

CULLEN *), inprimis vero Cl. CAPPEL **) haud futilibus rationum momentis contrarium docent. Nec, ſi concedamus SWIETENIO †), rhachitidem omnino eſſe morbum novum, hoc ſcrofularum antiquitatem peſſumdat. Longe enim ante praecedentis ſeculi medium vitium ſcrofuloſum diſtincte ſatis deſcriptum legitur; neque a veroſimilitudine abhorret, conditionem qualemcunque recentius exortam vitio cuidam dudum exiſtenti accedentem hoc ita mutare poſſe, ut forma quidem priori analoga vario tamen nomine diſcrepante nunc paſſim incedat. Gonorrhoeam vel integrum ſemiſeculum poſt luis venereae primum exortum obſervatam fuiſſe conſtat. An ſimilis inter ſcrofuloſum vitium atque rhachitidem ratio?

Ceterum pro ſcrofularum antiquitate militat id, quod varia vitia luculenter a ſcrofuloſa cachexia pendentia apud antiquos iam deſcripta inveniantur. Sic GALENUS ††) achores & favum exacte iam deſcribit. Spinam ventoſam iam cognoverunt RHASIS & AVICENNA †††); & ſ. p.

Licet interim certo perſuadear, ſcrofulas antiquum quin coaevum fere generi mortali morbum eſſe, minime tamen inficias eo, hodie ſcrofulas eſſe frequentiores & maligniores, partim forſan propter ſyphilitici virus complicationem, partim ob alias cauſas in hodierna corporum conſtitutione vitaeque genere quaerendas.

§. 34.

---

*) l. c. §. 1658.

**) l. c. p. 13 ſq.

†) Commentar. T. V. ad aphor. 1480.

††) de compoſit. medicam. per loca L. I. cap. 8. Lib. de facile parabil. cap. 12. de tumor. praeter natur. cap. 15.

†††) FREIND Hiſt. med. Vol. II. p. 54.

§. 34.

Alia contra ſyphiliticam ſcrofularum originem argumenta.

Aſſerta iam ſcrofularum antiquitate hypotheſis de venerea earundem indole eo ipſo caderet, niſi nuperorum quidam ipſius ſyphilidis recentiorem ortum iterum in dubium vocarent. Addam igitur alia quaedam argumenta, quae omnem illi demunt veroſimilitudinis ſpeciem. Et quidem ego medicinam facio in regione & urbe tali, quam nefanda illa peſtis, ſyphilidem intelligo, a Deorum certe ira in mortales coniecta & vel vehementibus ac manifeſtis malis miſera puniens corpora atque devaſtans vel diverſiſſimarum aegritudinum larvis tecta in tenebris obſerpens, certo tamen perdens, nondum irrepſit. Prorſus fere apud nos exulant morbi venerei, inter plebem inprimis & ruricolas plane ſunt inauditi; quae quidem felicitas patriae meae cum aliis urbibus minus populoſis, quae multiplici ex diſſitis regionibus hominum, iuniorum praeſertim concurſu, militum inhabitantium gregibus &c. carent, communis eſt, maiori certe incolarum, quam medicinam facientium lucro. Nihilominus tamen apud nos affectus ſcrofuloſi omnis generis ſunt frequentiſſimi. Anne ſolum hoc exemplum ſcrofularum a ſyphilide plenariam independentiam affatim monſtrat? Et talium regionum, ubi ſcrofulae creberrimae, inaudita vero ſyphilis plurimae ſane exiſtunt.

Praeterea opponimus ſequentia iis, quae pro adſtruenda ſcrofularum ſyphilitica origine afferri ſolent. (§. 32.) Verum eſt, utriusque mali ſymptomata quandam analogiam habent; ea tamen, ſi propius conſiderentur, inſigniter diſcrepare & totum utriusque morbi decurſum maxime differre,

nemo certe repugnabit. Ipſi glandularum venerei tumores alium prorſus, ac ſcrofuloſi, genium ſervant. Praeter ſyphilidem acrimoniae permultae, v. c. arthritica, varioloſa &c. glandulas ſaepe tumere faciunt. Cur non eodem iure, quo ſyphilidi, hiſce acritatibus tribueres unicum ſcrofularum fundamentum?

BIERCHENII obſervata ſententiae noſtrae nullam plane vim inferunt. Quos enim ille ſub ſcrofularum nomine deſcribit, tumores, aperte quidem venerei ſunt, ſed ita comparati, ut illos veras ſimplicesque ſcrofulas vocare ab omni loquendi uſu abhorreat. (§. 27.) Morbum vero communiter ita dictum, modo experientiae prorſus contrario tanquam levem nimis pingit, & ſcrofularum nomine indignum iudicat. Ait enim *): „Glandulae induratae, quae in infantibus alias vegetis ſub mento, pone aures & in collo magna ſaepe copia erumpunt, pediculis & capitis ſcabie iuncti ſunt certisque ſolummodo anni temporibus ſe oſtendunt, haud magni ſunt momenti. Sponte ſaepe vel laxantibus exhibitis in ſuppurationem abeunt & crebra capitis mundatione &c. caveri plerumque poſſunt.“ — Quis vero hanc ſcrofularum communiter ita dictarum deſcriptionem, mancam ſane, ni dixeris frivolam atque ineptam, probare poterit? — Quis inſignem morbi difficultatem, ſagaciſſimorum medicorum operam omnem ſaepe ſaepius, proh dolor! eludentem, neſcit aut non intelligit? Quas vero ut periculoſas & graves ſcrofulas, a ſyphilide ortas, BIERCHéN deſcribit (vid. §. 27.), eae ne ullam quidem cum communiter

*) l. c. p. 39.

ter & vere ita dictis ſcrofuloſis tumoribus & ulceribus obſtinatis ac malignioribus, quae quotidie ſyphilidis ſuſpicione prorſus exulante & alia longe forma incedentes obſervantur, ſimilitudinem habent. Verarum proinde ſcrofularum natura BIERCHENIO prorſus ignota fuiſſe videtur; valdeque merito miraris, plurimos ſagaces & doctos viros illius obſervatis in vera ſcrofularum indole perſpicienda tantum tribuiſſe, nec ſtatim animadvertiſſe, illum de leviſſimo ſolum verarum ſcrofularum gradu cum malignis a latente viru venereo glandularum tumoribus comparato diſſerere. Idem b. BIERCHéN ſcirrho ſuo ſcrofuloſo venenum venereum ſubeſſe, &, niſi iam adoleverit, mercurium huic malo mederi affirmat. At, quae de illo dixit, perpendentes, non poſſumus non quaerenti E. F. NICOLAI *), anne ſcirrbus ſcrofuloſus Bierchenii potiori iure venereus ſit nominandus? affirmantes reſpondere.

A parentibus ſyphilide enervatis vel infectis naſci progeniem ſcrofulis valde obnoxiam, tum a ſola debilitate infantibus connata tum a ſyphilide cum ſcrofuloſa diatheſi combinata eiusque evolutionem adiuvante poteſt derivari. Solam quippe ſyphilidem vix in cauſa eſſe, fere demonſtrat animadverſio CULLENI **), qui exempla ipſi nota eſſe ait, ubi venereum malum a parentibus in prolem revera translatum fuerit, in hac tamen poſtea ne ullo quidem ſcrofularum veſtigio ſe manifeſtante.

N 2 Quod

*) Diſſ. ſiſt. theoriam cancri, Jen. 1785. §. XXI.
**) l. c. §. 1690.

Quod ad medendi methodum ſpectat, in venereis quibuscunque morbis ab exhibito mercurio levamen impetratur vel cura perfecta. Is vero licet nonnunquam in ſcrofulis multa praeſtet, perſaepe tamen medentes derelinquit & a plurimis vituperatur. Contra ea remedia & curandi rationes in morbo noſtro quam maxime proficuae ad ſyphilidis virus infringendum penitus fruſtraneae ſunt.

Ceterum pauperculis potiſſimum & plebeiis ſcrofulae tum frequentia tum malignitate infames cernuntur; ditiores meliorisque conditionis homines rarius nec tanta cum vehementia aggrediuntur; horum e contra, quam pauperum longe maior numerus venereis morbis laborare ſolet.

Quod demum ad ſyphilidem larvatam attinet, quae totum mortale genus infeciſſe & plurimorum hodie frequentium morborum atque generatim hodiernae debilitatis hominum cauſa eſſe dicitur; notandum omnino iſtorum morborum plerosque uti & corporum imbecillitatem in melioris fere ſolum conditionis homines cadere; illorumque innumeras alias praeter ſyphiliticam luem latentem adduci poſſe cauſas hic fuſius non ediſſerendas. Quin adeo clamatam hodiernam generis humani imbecillitatem, ſi univerſim res conſideretur, vix deprehendi maiorem, quam ante luis ortum, ſunt, quae ſuadeant, plurima *). Ceterum minime in eo ſumus, ut lui in iis, ubi dominatur, regionibus, inſignem vim, innumeros morbos progenerandi

*) Cf. quae Cel. BLUMENBACH Med. Bibl. Vol. II. p. 407-8. egregie circa hoc argumentum diſputat.

randi atque genus humanum mire enervandi denegemus.

Nec omnibus hactenus diſputatis id inficias eo, ſyphilidem in ſcrofularum medela ſaepiſſime eſſe attendendam. Facillime enim, ut recte monet Dn. GAMET *), ſyphilis ſcrofuloſo vitio iungitur, cum praecipua utriusque mali ſedes eadem ſit, ſyſtema nempe lymphaticum humoresque ſeroſo-lymphatici, ac praeterea inter utrumque virus peculiaris amicitia & combinationis niſus obtinere videatur, id quod miasma venereum in corpus ſcrofuloſum receptum vix delendum probat.

Bene iam PETITUS **) notat, exoſtoſes ſcrofuloſas *vel* oriri in iis, in quibus venerei virus nulla ſuſpicio & hoc fieri in locis, ubi ſyphilis plane incognita; *vel* proficiſci a ſyphilide cum ſcrofuloſa dyſcraſia complicata & hoc ſuſpicandum eſſe in regionibus, ubi ſyphilis frequens & plerique incolarum eius ſcintillas in venis alunt. — Crebra, docet eſſe exempla eorum, qui a ſcrofuloſis exoſtoſibus liberati, tamen poſt *impurum coitum* in idem malum recidant. Se aliquot feminas vidiſſe iuventute ſcrofuloſas, ſed ſanatas, quae matrimonio inito ſtatim in prima graviditate vel paulo poſt ſcrofulis iterum infeſtarentur, dum vel a marito ſyphilidis infectionem contraherent, vel lympha in iis ab acido lactis iterum coagularetur, vel demum a matrimonio latens ſcrofuloſa materies denuo in actum duceretur. Sic Auctor narrat feminam iuventute ſcrofuloſam, glandularum nempe tumoribus & exoſtoſi cum carie ad maxillam & os

 me-

*) Theorie des maladies cancereuſes. T. I.

**) *Krankheiten der Knochen* p. 274-76.

metatarſi digiti minoris pedis laborantem ſed curatam, quae, cum anno aetatis ſuae vigeſimo matrimonium cum viro, qui a ſuppreſſa gonorrhoea ſyphiliticam labem contraxerat, iniiſſet, denuo iisdem malis glandularum puta tumeſcentiis & exoſtoſi infeſtabatur. Nunc vero ſola antichoeradica curatio nil profecit, convaluit vero aegrota ſimul exhibitis remediis antiſyphiliticis. — Neque ASTRUCCIO ignota fuit frequens ſyphilidis cum ſcrofuloſo vitio complicatio; is quippe cariem oſſium frequentius occurrere in ſyphilide ſcrofuloſa docet, quam in ſimplici *), atque guaiaci decoctum in complicato malo mercurio eſſe praeferendum, quoniam illud utrumque virus deſtruat, mercurius vero perſaepe nil in ſcrofulis valeat **). — Singulare exemplum ſyphilidis cum ſcrofuloſa cachexia complicatae indeque pertinaciſſimae ac pernicioſiſſimae redditae exhibet Cl. F. A. MAYER ***). — Etiam IO. HUNTERUS †) plurima de utriusque mali combinatione proponit infra ex parte notanda, ut alios taceam.

§. 35.

Sententia Cel. SELLE paucis perpenditur.

Similem fere opinioni de venerea ſcrofularum origine, quam §§. pr. diſcuſſimus, ſententiam profert Cl. SELLE, qui ††) ſcrofulas, innuit, proficiſci ex peculiari acrimonia, cuius quidem natura ad-

*) Malad. veneriennes T. II. p. 264.
**) Ibidem p. 262.
***) Commentatio de Ozaena. Hamburg. 1785.
†) *Abhandl. über die vener. Krankheit.* variis locis.
††) Med. clin. p. 226.

adhucdum ignota ſit, quae tamen arthriticae & ſyphiliticae ſoboles eſſe videatur. IDEM *) doctrinam Balfourio-Todianam amplectens virus gonorrhoicum uti & fluoris albi utrumque mercurialibus pertinaciter reſiſtens a venereo diſcrepare ſumit experientiaque refert **) ſibi certo conſtare, poſt neglectas gonorrhoeas ſaepe inſequi exanthemata herpetica. Et herpetes cum tantum non ſemper dyſcraſiae ſcroſuloſae ſignis ſint iuncti, concludendo quaerit, anne gonorrhoea & fluor albus ad morbos ſcrofuloſos pertineant? & nominatim in fluore albo ſuſpicatur herpetes in vagina adeſſe.

Elucet igitur, SELLIUM arctum ſcrofulas inter & ſyphilidem nexum aſſumere, dum mox vitium ſcrofuloſum ſyphilidis ſobolem eſſe ponit, mox leucorrhoicum & gonorrhoicum virus cum ſcrofuloſo idem vel ſaltem ipſi valde analogum eſſe ſtatuit.

Poſterius hoc quoque adſtruit Cl. HECKER, vulgarem gonorrhoeam aeque crebro, quin ſaepius ſcrofuloſae indolis eſſe quam venereae ſentiens †), ſequentibus fere utens argumentis: 1) ſe tantum non ſemper ſcrofuloſos reperiſſe refert infantes a meretricibus prognatos, quae tot viros gonorrhoea donarint. 2) Vulgaris gonorrhoeae ſequelas ſimillimas eſſe vitii ſcrofuloſi ſymptomatibus, v. c. chronicas ophthalmias, herpetica exanthemata; quaeque adverſus haſce ſequelas efficaciſſima ſint remedia, antimonialia, alcalina, ci-

 cuta

*) l. c. p. 209.

**) l. c. p. 214. cf. p. 227.

†) *Ueber den Tripper* p. 115. 160. 205. & al.

cuta &c. ſcrofuloſam quoque acritatem debellare. 3) Mercurium tum in gonorrhoea eiusque ſequelis tum in ſcrofulis parum valere; & licet quandoque in affectibus a gonorrhoea relictis efficax ſit, hanc nihilominus ſcrofuloſam eſſe potuiſſe, cum interdum hydrargyrum in ſcrofulis proficiat. 4) In ophthalmia a gonorrhoea ſuppreſſa mercurium idcirco fruſtraneum eſſe, quoniam illa in plerisque caſibus ſcrofuloſa atque ſcrofuloſae gonorrhoeae ſequela ſit; id quod partim ex ophthalmiae habitu pateſcat, partim exinde, quod ophthalmia rariſſime a ſyphilide producatur, ſcrofularum vero indivulſum ſymptoma ſit. Remedia praeterea antiſcrofuloſa hic longe efficaciora eſſe mercurio. — Ita quoque dolores artuum gonorrhoeam interdum excipientes non tam mercurio, quam ptiſanis lignorum, antimonio, cicutae &c. cedere. Materiam gonorrhoicam puri ſcrofuloſo ſimilem eſſe & ſ. p.

An gonorrhoica acrimonia a venerea reapſe differat, huius loci non eſt disquirere. Multa tamen ſuadere videntur ad minimum ut varietates conſiderare binas dictas acrimonias. Sententiam vero SELLII atque HECKERI, vulgaris gonorrhoeae virus cum ſcrofuloſo vel unum idemque eſſe, valde infirmo talo niti dixeris. Quippe, ni eandem cum ſyphilitica gonorrhoicam acrimoniam velis, ipſi tamen valde affinem eſſe — degeneratam, variatam, ab accedente qualicunque conditione permutatam acritatem veneream eſſe — vix ire poteris inficias; ſcrofuloſae autem cachexiae ex ſyphilide originem prorſus eſſe nullam paullo ante affatim monſtravi. Anne ab omni cognita ſcrofulae origine, indole, progreſſu plane abhorret, ſcrofuloſam acrimoniam in genitalibus cujuslibet

libet proſtibuli, quod venereas ſibi impuritates contraxit & plerisque cum ipſo coeuntibus gonorrhoeam communicat, ſubolfacere velle? Neque argumenta a laudatis Auctoribus pro confirmanda ſua ſententia allata nos convincunt. Quod ad herpetes attinet, hi ab innumeris aliis praeter neglectas gonorrhoeas cauſis produci ſolent atque plurimorum morborum eſſe ſequelae vel ſymptomata *). Bene notat KAEMPFIUS **), acrimoniam herpeticam ſcrofuloſae quidem affinem eſſe, ſed tamen in priori debellanda varias cacochymias magis quam in poſteriori reſpiciendas eſſe. — Et cum iam herpetes tantum non ſemper ſignis acrimoniae ſcrofuloſae coniuncti dicantur, anne inde aeque facile concludi potuiſſet, innumeras iſtas, a quibus herpetes, cauſas morboſas ſcrofuloſas eſſe; ac gonorrhoeam fluoremque album unius eſſe naturae? Anne potius inferendum fuiſſet, ſcrofuloſam acrimoniam eſſe indolis diverſiſſimae vel ſaltem quamplurimis complicari poſſe miasmatum generibus? Sed experientiae omnino refragatur, herpetes ſemper dyſcraſiae ſcrofuloſae indiciis eſſe ſociatos, niſi quaelibet ſigna qualemcunque acritatem lymphae inhaerere docentia pro acrimoniae *ſcrofuloſae* ſignis venditare velis — Neque multum probat aliorum quorundam ſymptomatum a neglecta gonorrhoea ſuborientium cum ſcrofuloſis ſimilitudo; cum acrimoniarum diverſiſſima genera, ſi lymphae inhaereant eamque corrumpant, quodammodo analoga producere conſueverint. — Remedia demum in utroque caſu utilia non tam

*) POUPART Traité des dartres. Paris 1782.
**) l. c. p. 284.

ſunt ſcrofuloſi vitii ſpecifica, quam potius non niſi generalem purificantem, lympham emendantem, qualemcunque acrimoniam e corpore eliminantem qualitatem involvunt.

Minime interim inficias eo, gonorrhoicam quoque acrimoniam, latentem ſcrofuloſam diatheſin in actum ducere poſſe, unde tunc ſymptomata gonorrhoeam inſequentia characterem vere ſcrofuloſum adipiſcantur.

Quomodo vero acrimoniam ſcrofuloſam arthriticae ſobolem ponere poſſit Cl. SELLE, (ipſi nempe ſcrofuloſa acrimonia *venereae* & *arthriticae* ſobolis videtur) equidem plane non video *). Verum quidem eſt, a cauſa arthritica vel ſola vel cum ſcrofuloſa diatheſi complicata saepius glandularum tumores oriri, veluti ex poſtea afferendis exemplis patebit; aſt vero in infantibus ac pueris vix ac ne vix quidem arthritica ſcrofuloſi vitii initia demonſtrari poterunt. Innumeros praeterea ſcrofulis laborare, quorum parentes nunquam affectibus arthriticis infeſtati erant, & contra plurimorum parentum ab articulari morbo miſere diſcruciatorum progeniem ne veſtigium quidem ſcrofularum oſtendere, quotidiana docet experientia. Si qui exiſtant ſcrofuloſi ab arthriticis prognati, plurimae aliae huius rei cauſae adduci poſſunt, — connata corporis debilitas, diatheſis ſcrofuloſa coniuncta & ſ. p.

§. 36.

*) Etiam STOLLIUS (prael. in morb. chron, p. 31.) quaerit, an arthritica materies ſubſit?

§. 36.

An morbus ſcrofuloſus ab acido lympham coagulante?

Trutinabimus iam de ſcrofularum origine ſententiam, cui plurimum omnino veritatis ineſt. Acidum nempe primis viis inhabitans, chylum inquinans & depravans, ad lymphaticas vias delatum lympham coagulans & hac ratione iſtas obſtruens glandulaſque tumefaciens, fuere quamplurimi, qui pro morbi noſtri proxima, conſtituente, materiali haberent cauſa. Quos inter primo loco ponere non dubito pathologiae acidae, famoſae quondam, dudum vero iam exploſae, conditores, HELMONTIUM, TACHENIUM, SYLVIUM, eorumque numeroſos aſſeclas. Vix enim ullum in medicina excogitatum dogma tam futile, inane, imaginarium & plane falſum eſt, ut non aliquid ipſi veritatis inſit. Fere ſemper tales hypotheſes obſervationibus quibusdam veris nituntur & latius ſolummodo extenſae atque ubivis applicatae evadunt ridiculae. HELMONTII *) itaque effatum: „Acor primae coctionis reſiduus nec ſatis correctus ad inteſtina pergit pro torminibus; venas porro tranſiens febres varias excitat, contracturam abdominis, hydropes, *meſaraicarum obſtructiones*, paralyſes item artuum & ſtrangurias,“ — omnino ex parte in rem noſtram converti poteſt. Nec reticere placet, SYLVIUM **) ab acido auſteriori & viſcido, lympham coagulante, inſpiſſante, tum ſcrofulas, tum ſtrumas derivare.

ETT-

*) Opp. p. 380.

**) Prax. med. L. I. cap. 49. App. ad prax. Tract. VIII. var. locis & alibi paſſim, in Opp.

ETTMüLLERUS *) ait: *Si lympha viſcida in poris & meatibus glandularum colligatur, coaguletur, & ab acido proprio ſenſim inſpiſſetur & indureſcat, dat tumores glandularum, quos vocant ſtrumas, ſcroſulas.* Ita quoque ſentit DOLAEUS **). Inter quamplurimos morbos, quos BERTRAND ***) ab acido provenire putat, quibusque appropriata remedia alcalia eſſe iudicat, ſunt quoque ſcrofulae; — ſed taedet, plurium pathologiae acidae vel ex toto vel quoad magnam partem aſſeclarum cumulare teſtimonia, cum latius iuſto illam patere arbitrati iſti Auctores vix ad rem noſtram probandam multi ponderis ſint. Ad potiora deveniamus.

Ex peculiari ſeri ſanguinis aciditate morbum deducit WISEMANN †). Idem fere ſentit GIBBS ††). Cel. TRALLES †††) pathologiae acidae ſtrenuus alias everſor, nullus tamen dubitat pronunciare: „ſi affectus eos, qui dentitionis negotium aegre ſuccedens comitantur, rurſumque illos, qui a vermibus originem trahunt, excipias, omnes ſane reliquae infantum aegritudines ex acida & viſcida colluvie prognaſcuntur, cuius correctioni niſi ſedulo invigilaverit medicus, oleum ſane & operam perdet;" — ſcrofulas proinde, quatenus morbum infantilem conſtituit, tacite quoque ab acido derivat. Etiam BOERHAVIUS, HOFFMANNUS, HARRIS aliique acidum ex primariis

---

*) Opp. p. 622.

**) Encyclop. chirurg.

***) Reflexions nouvelles ſur l'acide & ſur l'alcali. Lyon 1683. vid. Act. erud. Lipſ. 1684. Oct. p. 480.

†) Ap. ALLEN ſynopſ. p. 445.

††) Act. erud. Lipſ. 1712. p. 548.

†††) Exam. terreor. remedior. p. 43. 44.

mariis morborum infantilium cauſis recte habent. — Dn. BORDEU *) acidum in ſcrofulis ex inſtituto defendit, cui quoque ſententiae accedit CHARMETTON **), qui inter praecipuas cauſas occaſionales refert victum craſſum glutinoſum per ſe quidem non acidum, ſed evolutioni acidi ſpontanei faventem, multo magis autem acidum. Valde quoque iſta opinio arridet TOETTELMANNO †) & S. T. DE MEZA ††), ut plures alios taceam.

Sed miſſis auctoritatibus ad argumenta ipſa, quibus ſententia propoſita ſtabiliri poteſt, tranſeamus.

Alimenta cruda vegetabilia in acidam & viſcidam corruptionem prona, quae ingenti aviditate appetunt devorantque pueri ad ſcrofulas inclinantes, ex praecipuis morbi noſtri procatarcticis cauſis eſſe, experientia docet & deinceps fuſius ediſſeretur. Talis victus, dum debilibus infantum corpuſculis acido primarum viarum per ſe ſatis obnoxiis (eo magis quidem, quo iuniores ſunt & quo inertior vappidiorque bilis iam ab acido reddita eſt) debito certe modo ſubigi & in animalem naturam converti nequit, chylus proinde crudis particulis inquinatus, ad partium conſtituentium divortium & coagulum pronus, non poteſt non lym-

---

*) Prix de l'ac. de ch. T. III. p. 52. ſq. Poſtea tamen BORDEVIUS in opere de morbis chronicis (vid. FABRE *Unterſuchungen aus der Arzn.* p. 179.) ſententiam mutavit, ſcrofulasque a ſolo ſpecifico miasmate deduxit.

**) Prix de l'ac. de chir. l. c. p. 144 & al.

†) Diſſ. de ſcrofulis §. XII.

††) Compend, med, pract. Vol, 2. p. 44.

lympham corrumpere, inſpiſſare & ope acidi inhaerentis, necdum ſubacti coagulare. Hinc ſtagnationes lymphae in ſuis vaſis eo facilius inſequuntur, cum eorum continuo creſcat proportio ac diameter, adiumenta vero motus progreſſivi externa eo magis decreſcant, quo altius ex abdomine lymphatica vaſa pergunt, proinde celeritas motus fluidi inhaerentis ſenſim imminuatur. Ratio, cur in glandulis conglobatis primo conſpicuae fiant iſtae ſtagnationes, haud difficulter eruitur. Illae enim ex ſubtiliſſimis lymphaticis vaſculis mire inter ſe complicatis ac convolutis conſtantes, in iunioribus praeterea ſpongioſae admodum & pulpoſae *) in affluentem lympham ſatis reagere illiusque ſpiſſae & ad ſtagnationem proclivis ſufficienter promovere tranſitum nequeunt; unde obſtructiones & intumeſcentiae harum glandularum primum leviores emergunt, quae vero ſucceſſu temporis confirmantur, fixantur & magis magisque redduntur irreſolubiles. — Ex iam propoſitis tumorum glandularium ex acido & viſcido geneſin ſatis perſpici poſſe patet.

Sed & phaenomena plura in morbo noſtro manifeſto acidum arguunt. Quorſum primo loco referas deiectiones albidas, vel etiam virideſcentes affuſo oleo tartari p. d. in flavum iterum colorem mutandas, in ſcrofuloſis infantibus haud raro obvias, nec non virideſcens lotium (§. 22.) — Bilis inertia, quae tum cauſa tum effectus acidi viſcidique eſſe conſuevit, laborant communiter noſtri aegri, confirmante id praeter alia hepatis ſcrofuloſorum conditione. (§. 11.) Pinguedinis in ab-

*) HALLERI elem. phyſiol. T. I. p. 191.

abdomine, praeſertim in omento, penes atrophicos defectus vel vitiata conſtitutio, humorumque vappiditas mucoſitasque ad hanc bilis inertiam quoque confert. — In rhachitide, ſcrofulis maxime analogo morbo, illas quoque haud raro poſt ſe relinquente, manifeſto obſervatur acidum praedominans, multisque argumentis, acidum praecipuam rhachitici morbi cauſam eſſe deduxit, ſimulque illud in toto corpore noſtro, non in primis ſolum viis locum habere poſſe, affatim monſtravit Cl. CAPPEL *). — Sitis abſentia, addephagia, pica (pueri enim noſtri ſaepe appetunt arenam, cineres &c.) oris foetor acidus aliaque in ſcrofuloſis infantibus obſervanda ſymptomata itidem acidum arguunt. — Utilitas antacidorum, alcalinorum puta, alcaleſcentium, amarorum, maior porro morbi in frigidioribus regionibus frequentia pro eadem ſententia militant. — BORDEVIUS **) obſervavit, corpora eorum, qui montoſa inhabitant, acidum ſpirare, eorumque urinam ſyrupum violarum rubro colore tingere. Haec quidem obſervatio, ſi vera ſit, pro nobis minus probat; attamen in ſtrumis montoſa inhabitantium acidum quoque ſubeſſe poſſe innuit adeoque ſaltem eiusdem vim lympham inſpiſſandi & glandularum excitandi tumores confirmat.

Sed iam videamus, quae contra ſcrofularum ex acido originem regeri queant. Cl. HOME †) aſſerit, ſcrofulis aciditatem coagulantem originem haud praebere, cum acidi veſtigia guſtu aut chemico

---

*) *Ueber die Engl. Krankheit* p. 80. ſq.

**) l. c.

†) Princip. medicinae. Edin. 1762. cap. de ſcroful.

mico examine detegi nequeant & acida tumorem diſcutiant; ea propter magis viſciditatem ſeri & lymphae peccare. — Omnino peccat lymphae viſciditas, ad quam vero inducendam aciditas in primis viis plurimum contuliſſe videtur. Minime hoc ex eo refutatur, quod acidi veſtigia in tumoribus & ulceribus ſcrofuloſis humoribusque corporis deſiderantur nec ſenſibus uſurpari queunt. Lympha enim, licet ab acido primarum viarum inquinata, inſpiſſata, depravata fuerit, nemo tamen mirabitur, illam cum reliquis humoribus in corpore circulantem ſenſim ita ſaltem elaborari animalisque naturae eatenus participem fieri, ut manifeſtis acidi veſtigiis, chemico examine detegendis exuatur, inſuper ſi diuturna ſtagnatione magis adhuc corrupta fuerit. Quodammodo hic quadrat doctrina TACHENII *), qui acidum ſtomachale in corpore peccans non inſtar torrentis, ſed inſtar aurae ſive odoris operari aſſerit; paritęrque ETTMüLLERI **), qui acidum ex ventriculo aurae inſtar ſe in omnes partes diffundere, hinc nec opus eſſe innuit, ut ſenſibus adeo manifeſte ubivis pateat. Contempleris velim dyſcraſiam ſcrofuloſam tanquam arborem, cuius radix una cum trunco in primis collocata eſt viis, rami vero per univerſum ſyſtema lymphaticum ſe diffundunt. Radicem dixeris digeſtionem debilitatam, depravatam indeque collectam ſaburram acido-viſcidam. Non urgeam, chylum atque lympham ipſam hinc aciditatem contrahere, id vero manifeſtum ſatis eſt, impediri inde, quo minus chylus

*) In clave p. 237.

**) Diſſ. de praecipitant. Cap. II. §. 22.

chylus ſufficienter iam in primis viis charactere animali imbuatur — ſatis iam in prima officina ad permutationem in ſanguine ſubeundam praeparetur. Hinc neque in ſanguine iuſtum perfectionis gradum acquirere poteſt lympha, ſed mucoſa manet indolisque animalis penuria laborans. Etiam Cl DIEL *) in ſcrofuloſo abundantiam exiſtimat eſſe humorum non perfecte *animaliſatorum.* Nec abſimilis eſt ſententia MORTONI **) ex defectu facultatis aſſimilatricis ſcrofularum geneſin explicantis. Ait enim: *In ſcrofuloſa diatheſi ſanguis ob praeternaturalem acrimoniam iam tanquam coagulatus, atque adeo novum chylum non potens perfecte ſibi & partibus ſolidis adunire, ſolet eum in circulatione copioſius quam par eſt deponere in partes glanduloſas; ubi vaſcula non procedunt rectis lineis, verum ſpiratim; quo fit, ut ſanguis maiorem remoram & ſtagnationem in his quam in ceteris partibus efficere ſoleat, atque adeo ſecretionem ſucci nutritii magis copioſam; quo fit quod iſtae partes plus quam ceterae intumeſcere & dureſcere aptae ſint natae.*

Obiici porro poteſt, in ſcrofula meſenterica adultiori atque atrophia foetidiſſimas, putridas, minime acidum ſpirantes excerni foeces, ut hinc putrilaginem potius, quam acidum ſuſpiceris. Sed minime nego, in progreſſu morbi humorum ab acido corruptorum ſtagnantiumque peſſimam corruptionem ingruere. Etiam rhachiticus morbus, in quo manifeſta acidi veſtigia, quin ipſe aciditatem redolens ſudor, in ultimo ſtadio putrilagi-

*) Append. ad WHITE *über Scrofeln* p. 109, 107.
**) Phthiſiol. L. III. Cap. I. Opp. p. 81.

laginem refert ſibique adſciſcit alvi fluxum foetidiſſimum, halitum oris putridum &c. Bene SWIETENIUS *) mirum non eſſe, ait, morbos infantum ab acido ortos (de atrophia pauperculorum loquitur) putrida diarrhoea finiri, poſtquam cum tumido abdomine diu retentio alvi adfuit, cum tandem viſcera in corruptionem atque exulcerationem abeant & praeterea lactis caſeoſa pars animalis naturae ſit peſſimaeque putrilaginis capax exiſtat. — Neque eandem ob cauſam mirum, materiem ex achoribus, favo, tinea, cruſta lactea manantem putrilaginoſam potius, quam acidam eſſe, licet iſtorum affectuum ſcrofuloſo vitio quam maxime affinium origo, quoad magnam procul dubio partem in acido viſcidoque quaerenda ſit, teſtantibus HAENIO **), CHALMERSIO †), LORRYO aliisque. Quippe lymphatici humores ab acido viſcidoque vitiati corrumpuntur ſenſim & putreſcunt, ac demum per deſtillationes evacuantur.

Quamobrem vero in tenella aetate, primo nempe vel altero poſt nativitatem anno, ubi acidum praeprimis excruciare ſolet infantes, ſcrofulae non obſervantur? Reſpondeo: natura morbi ſecum fert, ut demum corpore ad aliquam perfectionem evecto, tertio nempe vel quarto anno, ſcrofulae in omnibus characteribus declaratae oriantur, inprimis victu craſſo, ſolidiori, farinaceo accedente. Glandularum vero meſenterii obſtructiones absque diſtincto charactere ſcrofuloſo atque atro-

---

*) Commentar. T. IV. ad aphor. 1355.

**) Rat. med. P. III. p. 315.

†) Diſeaſes of South-Carolina p. 96.

atrophiam etiam in tenella aetate — ab acido inprimis & viſcido fieri conſtat. (cf. §. 18.)

Sed nolim quis poſt iam propoſita exiſtimet, me acido viſcidoque in ſcrofulis progenerandis tantum tribuere, ut inde conſtituentem atque principalem earum cauſam repetam. Quo enim ſcrofula proprie dicta emergat, abſolute requiritur ſpecifica quaedam atque prorſus peculiaris totius corporis ſyſtematisque inprimis lymphatici diatheſis, vix non ſemper ex haereditate innata, cui vero diatheſi, antequam in ipſum morbum excreſcat, in infantibus ac iunioribus, conſtanter fere iungitur colluvies acido-viſcida, cauſam praediſponentem in actum ducens atque ad ſingularem illam, quae in ſcrofulis occurrit, lymphae dyſcraſiam plurimum ſine dubio conferens. Acidum viſcidumque igitur in iunioribus morbi noſtri tum ſymptoma tum rurſus cauſam occaſionalem conſtituit, neque a ſententia noſtra prorſus abhorret aſſertum ACKERMANNI *), ſeri aciditatem plerumque eſſe effectum, non cauſam ſcrofularum. Prudenter notat BUCHAN **) morborum infantilium generationi non ſemper ſervire acidum, ſed illud ſaepe eſſe ſymptoma.

Hinc palam eſt, me minime pro univerſali & unica ſcrofularum cauſa obtrudere velle acidum viſcidumque, ſed ſolummodo contendere, illud ad iuniorum ſcrofulas conſtituendas utplurimum concurrere, experientia aſſertum meum abunde confirmante. Quin ad leviores affectus ſcrofuloſos illosque, qui vero charactere ſpecifico carent

*) Diſſ. de ſcrof. natur, p. 17.
**) Domeſtic Medicine, Chap. 38.

rent (§. 18.), in infantibus producendos ſolum acidum viſcidumque abſque haereditaria diatheſi, non niſi infantili laxitate praediſponente ſufficere, vix quisquam repugnabit.

Plures vero aliae praeter acidum viſcidumque cauſae diſpoſitionem ad ſcrofulam proprie dictam in actum ducere atque affectus vere ſcrofuloſos excitare conſuerunt; inprimis quidem in adultioribus. Hi quippe iuventute morbum perpeſſi haud raro plures per totam vitam recidivas patiuntur occaſionem ſuppeditante nunc non acido & viſcido, ſed refrigerio, menſium ſuppreſſione, morbo arthritico, gonorrhoico, venereo, ulcere intempeſtive occluſo & ſ. p. Similes cauſae occaſionem ſaepe ſubminiſtrant, ſi vitium ſcrofuloſum in adultis *prima vice* (ita ſcil. ut iuventute nondum evoluta fuerit diatheſis) ſe oſtendit, quod tamen perraro contingit. Quin & in pueris miasma varioloſum, morbilloſum aliaeque circumſtantiae primam cachexiae evolutionem interdum cauſantur; in his tamen plerumque *ſimul* ſubeſt acidum viſcidumque primarum viarum. — Sed de his in ſequentibus paſſim enucleatius diſſeremus. Id ſolum hoc loco in anteceſſum notaſſe iuvat, exinde, quod diverſae valde indolis cauſae materiales ſcrofuloſam diatheſin evolvere queant, minime ſequi, nullam exiſtere acrimoniam ſcrofuloſam ſpecificam. Etenim iſte innatus ſolidis corporis partibus, inprimis ſyſtemati lymphatico character ſpecificus, qui diatheſin ſcrofuloſam conſtituit, illas in humores ita reagere facit, ut hi ſingularem illam dyſcraſiam ſive acrimoniam ſcrofuloſam concipiant, quae tot phaenomenis in morbo noſtro ſe manifeſtat. Si ſyphilis, miasma varioloſum aliave cauſa materialis peregrina diſpoſitionem in

actum

actum ducat, ſcrofulae complicatae inde emergunt, nec unquam effectus acrimoniae ſcrofuloſae peculiares deſiderantur.

§. 37.

An peculiare miasma ſcrofuloſum exiſtat?

Scrofulas ſpecifici generis vitium involvere, in praecedentibus pluries iam innuimus. Quod quidem ſolidorum innata praeternaturali quadam conſtitutione humorum peculiarem dyſcraſiam poſt ſe trahente contineri, hodiernorum plerorumque doctrina eſt *). Alii vero in miasmate quodam ſpecifico proximam morbi cauſam quaerere maluerunt; quae quidem ſententia a BORDEVIO **) potiſſimum ſtabilita fuit. Sed dolendum, doctrinam de miasmatibus nondum ad liquidum eſſe perductam, ſed denſiſſimis adhuc ſepelitam iacere tenebris. Quare etiam ſcrutinium de miasmate ſcrofuloſo ſpinoſum valde ac difficillimum eſt. Interim ordo rei exigit, ut, quid praeciſe ſub miasmatis vocabulo intelligendum ſit, primo loco disquiratur. Denotat vero illud vocabulum communi ſignificatu ſumtum, *materiam quandam morbidam, quae in aliis ſubiectis ſui ſimilem morbum producere valet* †); quae proinde ex uno

 corpore

*) *Die ſcrofulöſe Schärfe iſt eine nothwendige Folge der Action der Organen und der Bewegungen der Säfte während der ganzen Kindheit ſolcher Perſonen, die ſo eine fehlerhafte Beſchaffenheit mit auf die Welt gebracht haben.* FABRE l. c. p. 187.

**) Prix de l'ac. de chir. l. c. p. 74.

†) GERIKE diſſ. miasmatol. general. Gotting. 1775. §. 2.

corpore in aliud, exigua licet quantitate tranſlata, in hoc ſeſe multiplicandi & formenti inſtar ſanos humores inficiendi potentia gaudet. Ita quoque ſumſit BORDEU *), inquiens: *Il exiſte donc dans la nature une ſorte de miasme ſcrophuleux, qui eſt ſans doute formé quelquefois par les revolutions, qui arrivent aux differentes humeurs & qui peut fort bien en paſſant d'un ſujet à l'autre aller comme le levain dans la pâte, gater les humeurs ſaines.*

Duplex potiſſimum diſtinguendum mihi videtur miasmatum genus. *Prius* conſtituunt materiae morbidae, quae ſpecificae per ſe ſubſiſtunt, ſemper unius eiusdemque indolis ſunt, & nunquam in corpore ſponte absque contagio generantur, ſemel exortae nunquam de novo producuntur, ſed ſolummodo in ſubiectis, quae detinent, vel in rebus inanimatis, quibus fomes earum adhaeſit, perdurant. Huc pertinent, quantum ex obſervationibus concludi poteſt, non niſi pauca miasmata, ſyphiliticum nempe, varioloſum, morbilloſum &c. — Ad *alterum* genus referas materias morbidas, quae ſpecificae quidem indolis ſunt & in aliis ſubiectis ſui ſimilem morbum procreare ſolent, ſaepe tamen absque contagio de novo in corporibus a variarum cauſarum confluxu generantur. Huc certe pleraque pertinent miasmata & ſi miasma ſcrofuloſum aſſumendum eſſet, ad hanc certe claſſem referri deberet. Etenim experientia ſatis conſtat, ſcrofulas in corporibus nullo modo infectis de novo generari & ab haereditaria natura ad latens miasma nullam valere concluſionem, poſtea monſtrabo.

Sed

*) l. c.

Sed an etiam cacochymia ſcrofuloſa miasma ſtricto ſignificatu ſumtum involvere recte dici poteſt? Illud certe vocabulum haud raro, licet minus recte, laxiori ſignificatu ſumitur & ſpecificis acritatibus morboſis tribuitur, quae quidem plane non vel certa ſaltem ſub conditione contagioſae ſunt, ſed tamen ſui generis morbos procreant. Haec humorum vitia *acrimoniae* vel *cacochymiae* potius dicendae & a miasmatibus probe diſcernendae ſunt. Huc retulerim acrimoniam arthriticam, ſcorbuticam, rhachiticam &c. An & ſcrofulae huc pertineant?

Ut difficilem hanc quaeſtionem rite ſolvere queamus, ante omnia inquirendum erit, an & quatenus materia ſcrofuloſa contagioſa ſit? Illud vero fuere, qui adſtruerent, omnino. BORDEU *) fermenti inſtar virus ſcrofuloſum ab uno ſubiecto in alïud translatum ſanos humores inficere credit. CHARMETTON **), ACKERMANN ***) itidem contagioſam ſcrofularum naturam defendunt.

A nutricibus in alumnos tranſire morbum, docent plures †). MACBRIDE ††) ait: „Sed, ut iam contagione in alios tranſire poſſit, (ſc. ſcrofula) pariter tamen, ac ſcabies & lues venerea, non tranſit. Ceterum, quum ſemper tutiore via eundum ſit, conſultius eſt, ſanos a lecti conſortio cum his, qui ſcrofula laborant, prohibere.“

---

*) l. c.

**) Prix de l'ac. de chir. l. c. p. 174.

***) Diſſ. de ſcroful. natur. p. II.

†) v. c. MACBRIDE introd. verſ. CLOSS. T. II. p. 391. ACKERMANN l. c.

††) l. c. p. 392.

SELLIUS *) ſaepe contagioſam eſſe acrimoniam ſcrofuloſam, innuit. Dn. BROUZET **) quaeſtionem adeo proponit, anne ſcrofularum inoculatio illas minus periculoſas minusque pertinaces reddere poſſit? Cl. BROOKE ***) variolas per ſolum contactum puris illaeſa cute excitandi methodum idcirco potiſſimum excogitavit, ut ne alii morbi, ſyphilis praeſertim & *ſcrofulae* cum pure varioloſo propagentur, quos per ſolum contactum absque vulnuſculo communicari non poſſe autumat. Cl. ROWLEY †) ſaepe ſe obſervaſſe teſtatur, ſcrofulas cum variolis fuiſſe propagatas, & nominatim narrat exemplum iuvenis poſt inſitionem variolarum ſcrofuloſis colli tumoribus infeſtati in exulcerationem abeuntibus, ſemper vero renaſcentibus, iuncta ophthalmia &c.

Quidquid horum ſit, ſcrofularum contagioſam indolem tam late patere, minime credo. Quotidie occurrunt exempla, ubi ſani infantes cum ſcrofuloſis arcto & ipſius lecti conſortio fruuntur, nec tamen ipſis morbus communicatur. CULLENUS ††) multos novit pueros ſanos cum ſcrofuloſis plurima arctaque familiaritate utentes nec tamen a malo correptos, unde concludit, acrimoniam non in ſuperficiem corporis exhalare, ſed a peculiari corporis conſtitutione oriri. WHITE †††) experientia certo perſuaſus eſt, ſcrofulas communica-

*) Med. clin. p. 227.

**) Eſſay ſur l'education medicinale des enfans. Vol. II. p. 196.

***) vid. Gentlemens Magazine 1752. menſ. Maio.

†) Seventy four Caſes. Lond. 1779.

††) Firſt lines Vol. IV. §. 1690.

†††) l. c. p. 14.

nicationis haud capaces eſſe, & Clmo DIEL *) abſurdum plane videtur aſſertum, ſcrofulas per contagium propagari poſſe. Diſerte etiam GOURSAUD **) atque RENARD ***) contagium ſcrofuloſum negant. Quod ad tranſitum mali a nutricibus in alumnos attinet, ille nondum absque omni dubio ſuperſtite evictus eſt. Dn. FAURE †) neque infantem lactantem a nutrice neque hanc ab illo infici perhibet. Etiam WHITE ††) negat, a nutrice communicari poſſe ſcrofulas. A nutricibus cum variis morbis conflictantibus ſaepe quidem male habere tenellos concedit, impoſſibilis vero ipſi videtur latentis morboſae diſpoſitionis per lac nutricis ceterum ſanae communicatio. Nec tamen, ſi haec aliquando contingeret, inde ad miasma atque contagium ſcrofuloſum concludi poſſet. Semper in electione nutricis diſpiciendum duco, ut haec ſit a vitio ſcrofuloſo vel rhachitico intacta, nec glandularum tumoribus, ulceribus, ſcabie capitis, tinea, cruſta lactea aliisque vitiis cutaneis vel laboret vel laboraverit, non quidem idcirco, quod talis nutrix contagione proprie dicta propagare malum ſumenda ſit, ſed quo ſani prorſus ſucci dyſcraſiam ſcrofuloſam nunquam foventes, corpuſculo infantis introducantur neque paulatim diſpoſitio quaedam ad morbum noſtrum forſan ſubnaſcatur. Mores nutricum, temperamentum & univerſa corporis conſtitutio cum lacte in ſugentes

O 5 tran-

*) Apud WHITE, *Anhang* p. 101.
**) Prix de l'ac. de chir. l. c. p. 297.
***) Eſſay ſur les ecrouelles p. 20.
†) Prix de l'ac. de chir. l. c. p. 36.
††) l. c. p. 12. 13.

tranſeunt, cur non etiam morbi? — Scrofulas cum variolis propagari poſſe, cum WHITIO *) negare haud dubito. Qui illud comprobare videntur caſus, alia ratione explicandi ſunt, veluti poſtea de ſcrofula varioloſa dicendo declarabimus.

Interim negari non poteſt, materiam ſcrofuloſam certa ſub conditione contagioſam vim exſerere poſſe. Id quidem omni dubio caret, illam non adeo ſubtilem & volatilem eſſe, ut in cutis ſuperficiem exhalans in aliis ſubiectis vel per contagium ad diſtans vel per contactum ſive integra ſive laeſa cute ſe multiplicare poſſit. Neque materies ex ulceribus ſcrofuloſis benignis effluens contagioſam vim habet, id quod ex nonnullis a me inſtitutis tentaminibus apparet. Quippe materiem ex talibus ulceribus deſumtam puello ſano ad latus colli integra cute infricavi, alii vero puero cuticula exiguo vulnuſculo, velut in variolarum inſitione fieri ſolet, disrupta, itidem in ſuperiori colli regione, nempe infra & pone proceſſum maſtoideum applicavi, — & ne ullam quidem inde obſervare potui morbi communicationem. Nemo dicat audacula haecce tentamina, cum firmiſſimis indubitatisque rationibus eſſem perſuaſus, nullum inde damnum pueris ſubnaſci poſſe. Imitentur Lectores, ſi placet, experimentula, eundemque eventum fore polliceor.

At enim vero, ſi materies ſcrofuloſa inſigniter depravata, corrupta & quaſi exaltata eſt, tunc aliter ſe res habet. LAURENTIUS **) iam malignas

*) l. c. p. 14.
**) de mira ſtrumarum curatione. L. II. Cap. 2. p. 211.

ſignas ſcrofulas valde contagioſas pronunciat & effato Ordinis medici Pariſienſis anni 1578 ſententiam ſuam probat. Malignae quidem iſtae ſcrofulae ad cancroſam indolem proxime accedunt. Carcinomata autem aperta omnino per contagium propagari poſſunt, id quod praeter HILDANUM *), TULPIUM **) aliosque luculentis exemplis comprobavit BIERCHéN ***). Materies vero iſta contagium exſerens virulenta teterrimaque, docente eodem BIERCHéN †), locali modo in carcinomate ipſo ob diutinam ſtagnationem, agitationem &c. generatur, & tum demum in ſanguinem tranſit eumque inficit. Hinc minime cauſam, ſed effectum carcinomatis conſtituit. Ita quoque comparatum eſt cum ſcrofuloſa materia, quae demum topice depravata magis & in corruptionem inſignem evecta ſeſe in aliis ſubiectis propagare poteſt, minime vero ea ſub ſpecie blanda, qua per humores corporis diſperſa eſt. Egregie quoque rem illuſtrat phthiſis pulmonalis. Hanc contagioſam eſſe, tam multa ſane exempla ſuadent, ut vix hodie a quopiam in dubium vocari poſſe videatur ††); ſed tum demum phthoës contagioſa

*) Cent. II. Obſ. 78.

**) Obſerv. L. IV. cap. 8.

***) *Von den Kennzeichen der Krebsſchäden* p. 77. ſq. Quodammodo huc pertinet caſus chirurgi, qui cancri ichore deguſtato tabidus periit. HARRIS diſſ. med. chir. X. p. 168.

†) l. c. p. 80.

††) Cl. EVERS diſſ. contagium phthiſicum inquirens. Gotting. 1782. Cf. Bibl. med. pract. a memet atque I. C. SCHAEFFERO evulgat. Vol. I. P. I. Monaſter. 1789. p. 101. ſqq.

ſa vis cernitur, ſi pulmones exulcerati ſputaque purulenta ſunt; horumque corruptorum exhalationes & effluvia diu multumque reſpirando in pulmones attrahuntur.

Sed non malignae ſolum & cancroſae ſcrofulae per contagium propagari poſſunt, ſed materies earum alio ſingulari modo corrupta eandem interdum vim habet. Docent hoc achores ex ſcrofuloſa dyſcraſia, quod poſtea monſtrabo, certiſſime pullulantes. Hi enim inſitione communicari poſſunt ad varios infantum morbos ſanandos a quibusdam laudata & ab OETINGERO *) vituperata. Tineam capitis ſumme contagioſam eſſe, conſtat inter omnes. Et in tali contagio accepta tinea interna remedia nullum fere uſum habent, ſed in ſolis dropacismis auxilium.

Ex his quidem omnibus ſatis patere arbitror, ſcrofulas non a peculiari miasmate produci, ſed potius peculiarem humorum dyſcraſiam, cacochymiam, acrimoniam, involvere, quae vero non praeexſtitit, ſed praeternaturalis illius ſingularis plane ſolidorum inprimis ſyſtematis lymphatici conſtitutionis (§. 29.), veram morbi eſſentiam continentis effectus atque ſequela cenſenda eſt; licet inficias iri nequeat, materiam earum quandoque topice ita mutari poſſe, ut in alia ſubiecta translata ſimilia vitia excitare valeat.

§. 38.

---

*) Diſſ. an achorum inſitio imitando variolarum inſitionem pro curandis pueritiae morbis rebellibus tuto tentari poſſit? reſp. S. T. GMELIN. Tubing. 1762.

§. 38.

An multiplex ſcrofularum indoles?

Recentius nonnulli medici exiſtimant, ſcrofulas minime ſemper unius eiusdemque indolis eſſe, ſive ſpecificum involvere vitium, ſed a diverſis valde produci materialibus cauſis, & pro harum diverſitate variare quoque ſcrofularum naturam. Ex his eſt Cl. PLENCIZ *), inquiens: *An omnium ſcrofularum eadem cauſa materialis? id plurimis practicis affirmatum fuiſſe, ac inde hucusque incurabilitatem huius mali ortam eſſe crediderо.* Oriri, pergit, ſcrofulas a variolis, morbillis, ſyphilide, cacochymia pituitoſa, acrimonia arthritica & ſ. p. Etiam BOEHMERUS **) non dari ſpecificum in ſcrofulis acrimoniae genus contendit, ſed multiplicem materiam morbidam ſubeſſe poſſe, & KAEMPFIUS †) innuit, ſcrofuloſam atque rachiticam cacochymiam plerumque a ſaburra pituitoſa, ſaepe acida, glandulas obſtruente, nec tamen raro etiam a reliquiis virus venerei, arthritici, morbilloſi, varioloſi, ſcarlatinoſi &c. horumve degeneratione proficiſci. I. C. H. ACKERMANN ††), poſtquam opinionum circa ſcrofulas, quarum tamen quaelibet ſuis argumentis defendi poſſit, diſſidium contemplatus eſt, ſequentibus verbis eandem fere doctrinam defendit:

„Optime nos agere arbitror, ſi uni tantum ſcrofularum cauſae proximae inhaerere deſiſtimus. Et

*) Act. & Obſſ. med. Prag. & Vienn. 1783. Cap. 8.

**) Diſſ. de cognoſ. & ſanand. ſcrof. Hal. 1783 cuius libelli hactenus mihi copiam non fuiſſe doleo.

†) Libro ſaepius dicto. p. 283.

††) Diſſ. de ſcroful. p. 18. 19.

Et ſane multa ſe nobis offerunt argumenta, quae ſcrofularum naturam in aliis hominibus aliam eſſe oſtendant. Sic etiam intelligitur, quare ſcrofulae modo facilius cedant, modo omnibus remediis reſiſtant, quare idem medicamentum in ſcrofulis modo profuerit, modo nocuerit. Certe aliae ſunt ſcrofulae, quae natos a venereis parentibus invadunt, aliae quae in rhachiticorum vel arthriticorum ſobole obſervantur. Quis eiusdem indolis ſcrofulas eſſe nobis probare conetur, quae rhachitidem, quae variolas, quae morbillos aliumve morbum excipiunt. Glutinoſam quidem humorum, praecipue lymphae intemperiem, nec non acrimoniam quandam in ſcrofulis ſemper adeſſe, nequaquam nego. Quodſi enim illa humorum diſpoſitio non ab acrimonia aliqua penderet, facilius citiusque corpus ab illo malo liberari poſſet. Ipſam vero hanc acrimoniam ubivis unam eandemque eſſe non dixerim; immo potius modo rhachiticam, modo veneream, modo arthriticam, modo varioloſam, modo morbilloſam, modo cancroſam, modo alius generis, (quis enim, quot & quales in corpore humano acrimoniae oriri poſſunt, eas omnes & ſingulas exponet?) eſſe admittendam, mihi quidem non plane abſonum videtur. Cui ſententiae indulgere ubi licuerit: conſilium quorundam, ſpecificum aliquod contra ſcrofulas remedium inveniendi utique inane erit habendum."

Attamen, quantumvis ſpecioſa haec argumenta videantur, illa re penitius perpenſa veritatem ſpecifici vitii ſcrofuloſi minime infringunt. Laudati Auctores ad ſola humorum vitia reſpexere, nec ſimul conſiderarunt peculiarem ſolidorum conſtitutionem, unde inprimis ſpecificus affectuum ſcro-

ſcrofuloſorum character repetendus eſt. Diſtinguamus inter ſcrofulas *veras* & *ſpurias*. *Illae* inde a iuventute oriuntur, peculiarem corpori habitum inprimunt & ſui generis cachexiam cacochymiam involvunt, morbumque proprium iuxta omnia phaenomena conſtituunt. Sunt vel *ſimplices* a ſola cacochymia ſcrofuloſa peculiarem ſolidorum ad noſtrum morbum diatheſin neceſſario inſequente profectae, vel *complicatae* a multiplicibus materialibus cauſis diatheſin ſcrofuloſam in actum ducentibus (§. 36.) aut cum dyſcraſia ſcrofuloſa ſeſe coniungentibus exortae. Uti plures acrimonias inter ſe connubium inire & coniunctis viribus in corpus noſtrum dominari poſſe innumera exempla docent, ita etiam ſcrofuloſae acritati cum multis aliis acrimoniarum generibus lympham irruentibus affinitas eſt & in mutuam coniunctionem niſus. Neque abſurdum hinc erit, cum Ill. RICHTERO *) dicere, in ſcrofula arthritica acrimoniam arthriticam, in varioloſa varioloſam & ſ. p. cum ſcrofuloſa acrimonia eſſe complicatam. — *Spurias* e contra ſcrofulas cum PLENKIO **) dicamus glandularum tumeſcentias abſque ſcrofuloſa diſpoſitione & cacochymia a qualicunque alia morbida materie excitatas. Hae *ſcrofuloſorum* tumorum nomine indignae ſunt, cum nullum cachexiae ſcrofuloſae ſignum animadvertatur. Raro tamen in tali caſu valde univerſales ſunt tumores i. e. plures partes corporis ſimul obſident, nec praeprimis in collo cernuntur; cum vix cuidam vitio tanta in univerſum ſyſtema lymphaticum potentia ſit, ac ſcrofuloſo.

---

*) *Chirurgiſche Bibliothek.* Vol. VI. p. 565.

**) In ſyſtem. tumorum.

loſo. Ubi pluribus locis ſimul ac praeſertim quoque in collo oriuntur, ibi conſpirans diatheſis vel dyſcraſia ſcrofuloſa iure meritoque accuſanda erit; quam praeterea ex habitu ſcrofuloſo alibi a nobis ample expoſito ſemper quaſi cum certitudine cognoſcimus.

Sequentia quoque ad mentem noſtram explicandam faciunt. Ad ſcrofulas diſpoſiti ſunt iuniores vel ſola illi aetati propria laxitate ſolidorum, ſyſtematis lymphatici amplitudine, imbecillitate, humorum ad viſcidum propenſione, quae accedentibus occaſionalibus cauſis, victu in acidum viſcidumque prono &c. ortui ſcrofularum anſam praebent ſat facilem, praeſertim ſi haereditaria translatione peculiaris ſyſtematis lymphatici conſtitutio & diſpoſitio ad vitium noſtrum connata fuerit. Hae iuniorum ſcrofulae, licet plerumque facile ſatis vincantur & increſcente roboreque aucto corpore ſponte evaneſcant, remanet tamen ſaepe per totam vitam ſyſtematis lymphatici quaedam imbecillitas & ad nova vitia concipienda proclivitas, nec prorſus deletur ſcrofuloſa corporis diatheſis.

Syſtema lymphaticum quaſi debiliorem corporis partem conſtituit; quare non mirum, a quibuscunque morboſis cauſis illud prae aliis partibus facile irrui glandularumque in adultis tumores variis occaſionibus interdum repullulare. Sic in feminis iuventute ſcrofuloſis tempore ceſſationis menſtruorum denuo ſe malum, licet alia ſub forma, haud raro oſtendit; vidi quoque in adulta quondam ſcrofuloſa glandularum tumores ab acrimonia arthritica excitatos, poſteaque ſcrofulas ſpurias recenſens hanc rem multis confirmabo exemplis aliis. Hos vero adultorum tumores a ſim-

ſimplicibus iuniorum ſcrofulis valde diverſos eſſe per ſe patet, licet negari nequeat, illos quodammodo ad veras ſcrofulas pertinere, cum vera ſcrofuloſa diſpoſitio, quae inde a iuniori aetate in ſyſtemate lymphatico remanſit, accedentibus materialibus cauſis formalem nunc orientium tumorum glandularium conſtituat.

Quae nunc ample diſputavimus, ſatis innuunt, quatenus in ſcrofulis diverſi generis cauſas materiales ſubeſſe recte dici poſſit. Ceterum vitium ſcrofuloſum ſpecificum & ſui generis eſſe a rerum gnaro vix dubitari poteſt; cum tot peculiaria nec in ullo alio morbo obvia phaenomena illud prae ſe ferat. Habitus corporis externus peculiaris ſaepius celebratus, decurſus morbi, aetas, diſpoſitio haereditaria omniumque remotarum cauſarum ratio, ſecundariorum morborum conditio — omnia morbum ſui generis arguunt. Ulcera ſcrofuloſa ab omnibus aliis ſingularibus notis facile diſtinguuntur. Ophthalmia, ſpina ventoſa, ſcabies capitis, phthiſis ſcrofuloſa, albi articulorum tumores ſcrofuloſi & ſ. p. poſtea deſcribendae aegritudines ita comparatae ſunt, ut ab aliis cauſis non excitentur vel ullo modo iis ſimiles. — Hoc quoque a medicis tantum non omnibus hodie agnoſcitur, cum ubivis ſcrofuloſi morbi ab omnibus aliis ſpecie diſtinguantur.

Nuper IO. HUNTERUS in opere ſuo de morbis venereis paradoxorum quidem pleniſſimo, nihilo tamen minus praeſtantiſſimarum obſervationum theſaurum inſignem nec pauca ratiocinia continente, quae tum Auctoris ſummum ingenii acumen oſtendunt tum veri ſpecie ſeſe commendant, paſſim ſententiam de ſcrofuloſi vitii indole expoſuit, quae omnino attentionem meretur, quam-

que in meas ideas, quas iam annum ante, quam *Hunteri* legerem librum, conceperam, apprime quadrare laetor. Excerpam hinc quaedam loca, ex iisque Auctoris ſententiam eruere conabor.

Leviores febres vel catarrhos, variolas, morbilloſque immediatam ſaepe ſcrofularum cauſam fieri, qua praediſponens earum cauſa in actum ducatur *). — „Caſus mihi occurrerunt, ubi ſyphilidis virus uti & catarrhus vel febris glandulas ſolummodo irritaret in iisque ſcrofulas produceret, morbum, ad quem diſpoſitae iam erant glandulae **).“ — In Anglia clima diſpoſitionem ad ſcrofulas inducere, nec niſi accedentem corporeae conſtitutionis mutationem requiri, quo morbus erumpat ***). — Virus ſyphiliticum ſcrofuloſos affectus inducere poſſe, ſiquidem diatheſis ſcrofuloſa in corpore adſit, quod quidem in Anglia frequenter fiat †). — „In multis regionibus & in iunioribus diſpoſitio ad ſcrofulas principalis eſt, hinc in iis bubones facile fiunt ſcrofuloſi veluti in annoſis cancroſi ††).“ — Suſpicatur Auctor in nonnullis gonorrhoeis ſecundariis (*Gleet*) ſcrofuloſum quendam ſubeſſe effectum, ſuſpicionem confirmante utilitate, quam hic exſerunt balnea marina & aquae pelagicae iniectio in urethram. „Saepe, inquit, animadvertimus, quod anomalia in naturalibus cuiusdam partis effectibus in cauſa ſit, quod haec pars novum quendam praeternaturalem

---

*) HUNTER *über die vener. Krankheit* p. 42.
**) Ibid. p. 456.
***) l. c. p. 43.
†) l. c. p. 44.
††) Ibidem.

ralem effectum exordiatur, ad quem multa diſpoſitio in conſtitutione corporis ſita fuerit.“ Exemplum adducit refrigerium, quod haud raro oculos ferrens in his ſcrofuloſam infirmitatem cum haud parco effluxu producat nec non in tonſillis ſcrofuloſos cieat tumores *). — Lentum bubonum progreſſum ſaepe inde repetendum eſſe, quod inflammationis vigor a ſcrofuloſa diſpoſitione retardetur **); tunc & ***) dolorem exiguum eſſe, mercurium progreſſum mali accelerare, quarundam glandularum ſuppurationem excitare, in alias prorſus nullum effectum exſerere & ſ. p. — Frequenter inprimis ſyphilidem, praeſertim bubones, forſan ob ſedem in glandulis lymphaticis, latentem ſcrofuloſam diatheſin in actum ducere & tunc, deleto licet ope mercurii viru venereo, effectum ſcrofuloſum remanere †). — Ipſum mercurium quandoque ſcrofuloſorum affectuum cauſam occaſionalem eſſe ††). — Exemplum ſyphilidis cum ſcrofuloſa diſpoſitione iunctae. Hic ulcera poſt diu & ſufficienter uſurpatum mercurium reſtitantia tandem cortice & balneo marino ſanabantur †††).

Ex his quidem apparet, HUNTERUM ſpecificam quandam corporis diſpoſitionem ad ſcrofulas producendas abſolute neceſſariam iudicare, cauſam vero diſpoſitionem illam in actum ducentem iuxta ipſius ſententiam multiplicem eſſe poſſe.

 Ad-

*) l. c. p. 168.
**) l. c. p. 449.
***) l. c. p. 456.
†) l. c. p. 474.
††) l. c. p. 579. 632. 633.
†††) l. c. p. 634. not. *.

Adducit quippe febrem, catarrhum, refrigerium, ſyphilidem, variolas, morbillos ipſumque mercurium. In omnibus adductis locis nil loquitur de acrimonia ſpecifica, ſed tantum de diatheſi ſcrofuloſa a qualicunque irritamento excitanda, de effectu ſcrofuloſo &c. unde quidem apparet, illum eſſe ex humoralis pathologiae ex more moderno medicorum Anglorum adverſariis. Ne quis ex varietate cauſarum materialium, quas occaſionem malo ſubminiſtrare refert HUNTERUS, concludat, illum multiplicem mali genium cenſere, inde ſatis prohibetur, quod ubivis peculiarem diatheſin commemorat. Neque negare videtur virus vel acrimoniam ſcrofuloſam ſpecificam *).

§. 39.

An ſolum partium ſolidarum vitium ſcrofulas conſtituat?

Recentiorum nonnullis placet, acrimoniarum in humoribus haerentium omne genus in pathologia fere floccipendere omnesque morborum conſtituentes cauſas in ſolidorum tono mutato nervisque affectis quaerere. Quam quidem doctrinam defendit quoque I. G. F. HAUSLEUTHNER **), plurimasque aegritudines, quae hucusque vulgo a peculiaribus acritatibus produci exiſtimarentur, potiſſimum a vitiato ſolidorum ſtatu, nempe reactione eorundem vel nimia vel nimis debili, irritabilitate variata, tono mutato deducit; id quod de morbis cutaneis variis, arthritide, nec non de cancro

*) l. c. p. 8.

**) Diſſ. an facile carere poſſit medicina diverſis acrimoniarum vocabulis, praeſide b. *Goldhagen*. Hal. 1784.

cancro & ſcrofulis &c. demonſtrare conatur, acrimonias mittere iubens. — Omnino dubitandum non eſt, ſolidorum ſtatum nervorumque affectiones in morbis quam maxime eſſe attendenda, magisque ac olim factum, reſpicienda; cum in iis cauſa lateat, cur vitium in fluidis haerens hunc potius quam alium morbum creet — cum ea formalem & determinantem cauſam ſiſtant, cur hoc potius quam alio modo ſeſe manifeſtet acritas corpori inhaerens; praeterea vitiata ſolidarum partium conſtitutio ad humorum vitia ingeneranda valde efficax ſit, haec proinde perſaepe illius ſolummodo effectus exiſtant; cum denique in quamplurimis caſibus ſolum ſolidorum vitium ad morbos conſtituendos ſufficiat. At vero acrimoniarum vitiorumque partium fluidarum exiſtentiam multiplicemque indolem prorſus negare velle, inſanum profecto eſſet, quique mediam eligunt viam, etiam hic prae ceteris laudandi ſunt *).

Audiamus vero ſpeciatim, quae de ſcrofulis proponit Cl. HAUSLEUTHNER **).

„Scrofulae & cancer, ait ille: naturam eandem ſervare videntur; loca enim non niſi glandulosa occupant, ſed differunt in eo, quod ſcrofularum durities non tanta ſit, quae in cancro deprehenditur. Huius phaenomeni ratio in ſolidorum reactione collocanda videtur; nam haec in morbo ſcrofuloſo non tanta eſt, quam in illo cancroſo.

*) Cf. ſi placet, diſſ. de acrimoniis & ſimilibus, quae recentioribus minus placent, cauſis morbificis, praeſid. BOEHMERO, reſp. AB HINTE. Hal. 1786.

**) Diſſ. cit. §. XIV.

croſo. Explicari hinc poterit, cur infirmiores & praecipue infantes ſcrofulis, adulti vero & qui ſtricta temperie gaudent, carcinomati ſint obnoxii. Morbus uterque ab obſtructione glandularum oriri videtur, ſed cauſa proxima aeque incerta eſt, ac methodus medendi; quamvis non deſint, quae commendata fuere ſpecifica. Ob quam igitur cauſam ad acre ſpecificum confugimus? Nonne ſatis eſt intellexiſſe, cauſas easdem morbum utrumque procreare v. c. glandularum compreſſionem, cum obſervatio docuerit, evanuiſſe ſcrofulas mutatis, quae glandulas comprimebant, veſtimentis."

Ex quibus de ſcrofularum indole brevius iuſto & obſcurius, minusque recte (quis enim rei gnarus a ſola glandularum compreſſione veras ſcrofulas deduxerit?) dictis, apparet, Auctorem acritatem ſcrofuloſam ſpecificam prorſus negare, ſolamque toni ſolidorum rationem in morbo explicando reſpicere.

Satis, credo, in praecedentibus paſſim innuimus, peculiarem ſolidorum, inprimis ſyſtematis lymphatici conſtitutionem requiri, quo verae ſcrofulae emergant. Sed conſtitutio iſta quaſi praediſponens ſolummodo cauſa eſt, & quo omnia morbi phaenomena rite perſpiciantur, neceſſario admittendum erit lymphaticorum humorum vitium quoddam acrimoniaque ſingularis indolis. Cui ingenerandae ſolidorum ſtatum praeternaturalem anſam praebuiſſe licet lubenter largiamur, quin prorſus indubitatum iudicemus, ſemel tamen exorta acrimonia diuturnam in corpore moram agit, effectusque producit plures a ſolo ſolidorum vitio prorſus non exſpectandos. Exempla praebeant ſcabies capitis, palpebrarum inflammatio,

tio, excoriatio, narium acre ſtillicidium, herpeticae cutis excoriationes, ulcera ſcrofuloſa plus minus maligna & ſ. p. (cf. §. 29.)

A iuſto veroque hinc tramite vix aberraveris, ſi ſcrofulam declaratam morbum ex ſolidorum humorumque vitio conflatum dixeris. Provocare hic liceat ad CULLENUM, ineptioris humoralis pathologiae ſtrenuum everſorem, qui licet potiorem mali cauſam in peculiari ſyſtematis lymphatici conſtitutione, proinde in ſolidis quaerat, ſimul tamen aſſumit ſingularem quandam incognitae indolis acrimoniam per humores corporis diſperſam *).

Quod ad cancri cum ſcrofulis analogiam attinet, illam haud exiguam eſſe, fatendum ſane eſt; quare & nonnulli ſcrofulas *ſcirrhos pueriles* vocant. GALENUS **) ait: „*Strumae* exiſtunt glandulis in *ſcirrhoſum* affectum commutatis. Eſtque curatio earum, quod ad ipſum attinet vitium, iis ſcirrhis, qui in aliis partibus naſcuntur, communis.“ AETIUS & PAULUS AEGINETA multas ſcrofulas cancroſae indolis eſſe opinantur. — Sed obſervandum eſt, antiquos medicos ſcrofulas cum ſcirrhis ſaepe confudiſſe. — Dn. GAMET ſcrofuloſum vitium cancroſi diminutivum vocare §. 31. diximus. VAN DER HAAR †) ſcrofularum naturam ponit in humoribus inſpiſſatis, cancri vero in ipſis vaſculis auctis, elongatis, incraſſatis, ita

*) l. c. §. 1688.

**) Meth. med. L. XIV. Cap. XI.

†) Verhandeling oover de Natuur en Aart van de Klier-Knoeſt en Kanker-Gezwellen. Amſterdam 1761.

ut in ſcrofulis multo maior ſit copia fluidorum quam ſolidorum, in cancro contra.

Et cancri quidem a ſcrofulis differentiam maiore ſcirrhi duritie & ad malignitatem propenſione conſtantem magnam partem a fortiori ſolidorum reactione & ab exteriori tumoris membrana fortius quaſi ſtringente pendere, dubitari nequit. Hinc etiam tumores ſcrofuloſi, inprimis glandularum conglomeratarum, inde a iuventute reſidui & indurati, adulta demum aetate robore corporis aucto variisque cauſis accedentibus ſcirrhoſam carcinomatoſamque indolem quandoque adipiſcuntur. Minime vero omnis cancer eſt ſcrofuloſus, ſed genius illius valde variat pro diverſitate cauſarum, quas multiplices ſcirrho ſubſequentique carcinomati competere conſtat. Sed etiam tunc eum cum aliis glandularum tumoribus loco verarum ſcrofularum poſſumus comparare. Cauſae enim variae non ſcrofuloſae in iunioribus vel laxioribus corporibus glandulas irruentes, earum ſolummodo tumores benignos vel ſi mavis ſcrofulas ſpurias excitaſſent, quae in ſtrictioribus ac ſolidorum robore & reactione valentibus tetrum producunt carcinoma. Hinc quoque iuniores omnis quidem generis glandularum tumeſcentiis obnoxii ſunt, raro vel nunquam carcinomati, quod ſolos ſeniores invadere ſolet. Etiam malignae ſic dictae ſcrofulae vix unquam in pueris cernuntur.

Conſideravimus iam & diiudicavimus praecipuas de ſcrofularum indole & cauſa proxima hypotheſes. (§ 30-39) Singulis fere aliquid veri ineſſe vidimus, nullam tamen rem omnem exhaurire. Ex iis vero, quae ad quamlibet opinionem ample annotavimus, ſatis apparet, quaenam noſtra ſit de morbo ſcrofuloſo ſententia, quam certis indubi-

dubitatisque principiis ſollicitaeque phaenomenorum morbi contemplationi ſuperſtructam eſſe crediderim, quaeque in progreſſu tractationis magis magisque confirmabitur.

§. 40.

Generalia quaedam de ſcrofularum differentiis, ratione cauſarum & ortus.

Non unam ſemper eandemque eſſe ortus ſcrofularum rationem, paſſim iam in praecedentibus declaravimus. Mox haereditario traduce innatae affligunt, mox abſque tali diſpoſitione oriri videntur. Interdum glandularum tumeſcentiae primum conſpicuum vitii ſcrofuloſi effectum conſtituunt, interdum antecedunt variae deſtillationes, cutaneae eruptiones, ſcabies capitis, labri ſuperioris tumor &c. Saepe quoque variolas, morbillos, ſcarlatinam aliosque morbos febriles ſequuntur affectus ſcrofuloſis ſimiles. Tales etiam poſt excretiones ſanguineas aliasque ſuppreſſas, item a cauſa arthritica, rheumat. vener. & ſ. p. exoriri conſueverunt.

Quae quidem omnia conſiderantes varii Auctores ſcrofulas iuxta cauſarum differentiam in claſſes quasdam generaliores diduxerunt. CHARMETTON *) dividit eas in *haereditarias* & *acquiſitas*, hasque in *primitivas* abſque ullo morbo praegreſſo productas & *conſecutivas*, quae morbis quibusdam ſuccedunt. — Cl. TOETTELMANN **) ſcro-

*) Prix de l'ac. de ch. l. c. p. 175. ſq.

**) Diſſ. de ſcrofulis. §. XX.

ſcrofulas commode diſpeſci poſſe cenſet in *primarias* ſ. *idiopathicas*, *ſecundarias* ſ. *metaſtaticas* & *endemias*. Primarias vocat, quae per ſe, nec ex alieno vel naturali excernendo vel morboſo in corpore retento humore oriuntur; ſecundarias, quae humoris naturalis excrementitii vel morboſi ſuppreſſam excretionem — proinde ſuppreſſionem menſtruorum vel haemorrhoidum, ſe- & excretionem lactis impeditam, variolas, morbillos, ſudores pedum ſuppreſſos & ſ. p. — ſequuntur. Endemias denique nuncupat, quae locis, quorum incolas vexant, privas cauſas ad earum geneſin cooperantes agnoſcunt; quorſum refert ſtrumas potiſſimum ſ. bronchocelas endemias, ſcrofulam Americanam SAUVAG. & ſ. p. — Frivola tamen haecce diviſio eſt nec ullius ad praxin utilitatis. Strumae endemiae prorſus ad nos non pertinent, ſed alium morbum conſtituunt, veluti etiam S. americana &c. Praeterea morbi, quos ad ſcrofulas endemias TOETTELMANNUS refert, inter ſe natura ſua toto coelo differunt, neque ullam, praeterquam quod omnes certis regionibus endemii ſint, inter ſe alunt ſimilitudinem. Nec diviſio in primarias & ſecundarias, quae Auctori cum aliis communis eſt, probanda. Etenim, quas ſcrofulis ſecundariis annumerat, tumeſcentiae glandularum, magnam partem ad ſcrofulas plane non pertinent, ſed ab aliarum cauſarum multiplici varietate excitantur. Quarundam e contra ad metaſtaticas ſ. ſecundarias relatarum v. c. quae poſt achores repreſſos oriuntur, tanta cum primariis veris analogia eſt, nec niſi accidentalis differentia, ut in aliam claſſem coniici prorſus nequeant.

Magis

Magis vero placet diviſio Clmi PLENK *) in ſcrofulas *veras*, (quas etiam *idiopathicas* vocaveris) quae ex cachexia ſcrofuloſa & *ſpurias*, (ſ. *ſymptomaticas*) quae ex qualicunque alia cauſa oriuntur. — Illae ſaepe habent prodromos diatheſin ſcrofuloſam arguentes, hae vero nullos praecurſores habent praeter morbos originales, quos paraſitarum inſtar ſequuntur.

Ad ſcrofulas veras equidem praeter communiter ita dictas quoque tanquam varietates retulerim glandularum tumores rhachitidi, achoribus, favo, tineae, cruſtae lacteae ſeſe ſociantes, cum hoſce affectus omnes ex vitio corporis ſcrofuloſae cachexiae ſimillimo pullulare exiſtimem.

Scrofularum ſpuriarum duplicem claſſem conſtituendam cenſeo. *Vel* enim ſcrofuloſum vitium cum alia qualicunque cauſa morboſa complicatum eſt, & coniunctis cum ea viribus glandularum tumores aliaque e ſcrofuloſorum genere ſymptomata excitat, id quod v. c. in affectibus ſcrofuloſis poſt variolas reſiduis, locum habere credo. *Vel* ne ullum quidem diatheſeos aut cacochymiae ſcrofuloſae veſtigium detegi poteſt, ſed aliae cauſae morbificae per ſe ſolas glandularum tumeſcentias excitarunt, quae vero tunc genio ſuo a ſcrofulis veris prorſus diſcrepant. Priorem illam ſcrofularum ſpuriarum claſſem ſcrofulas *complicatas* dicere malim, poſteriorem vero ſcrofularum nomen prorſus non mereri credo, ſed tumeſcentias huc pertinentes *glandularum* ſolummodo *tumores* ab hac illave cauſa excitatos nuncupandos eſſe. — Duplicem vero hanc claſſem non ſeparatim, ſed iunctim

*) *Lehrgebäude von Geſchwülſten* p. 85. 86.

ctim brevitatis gratia recenſebo, cum una eademque ad ſpurias ſcrofulas pertinens cauſa mox per ſe ſolam, mox in dyſcraſiae vel diſpoſitionis ſcrofuloſ e connubio glandularum tumores excitare poſſit. (cf. §. 38.)

§. 41.

Rhachitidis aliorumque quorundam affectuum cum ſcrofuloſo vitio analogia oſtenditur.

Eandem lymphae dyſcraſiam corporisque cachexiam, quae morbum ſcrofuloſum producit, a variis accidentalibus cauſis mutatam vel in diverſas potiſſimum corporis partes directam & eapropter variante habitu incedentem plurium ad ſcrofulas communiter non relatorum morborum cauſam quoque eſſe — vel ut aliis verbis loquar, a vitio corporis cum ſcrofuloſo non quidem prorſus eodem, ipſi tamen perquam affini & analogo varias alias aegritudines proficiſci, maximo cum probabilitatis gradu conſtituitur. Inter atrophiam, rhachitidem, ſcrofulam meſentericam & vulgarem, achores, favum, tineam, cruſtam lacteam &c. inſignis obtinet affinitas. In circulum quaſi redeunt haec vitia omnia, unum ex alio propullulat, haereditaria ſunt plerisque in caſibus, ſeſe ſaepius excipiunt, ſaepe una adſunt, in familiis, quibus tale vitium privum & haereditarium, promiſcue regnant, ſymptomatibus & ſequelis ſimilibus ſtipantur.

Aliquot rem exemplis confirmabo ad rhachitidis cum ſcrofulis affinitatem inprimis reſpiciendo; cum haec nondum ab omnibus medicis ſatis agnoſcatur, & Cl. SELLE *) claſſes morborum conſtituens

*) Append. ad Pyretolog. ed. 2. Berol. 1786.

tuens cauſales ſcrofuloſorum atque rhachiticorum affectuum diverſas adeo claſſes efficiat.

Notae mihi ſunt duo ſorores, quae a parentibus vitium ſcrofuloſo-rhachiticum haereditate acceperant. Altera multum inde a iuventute cum rhachitide conflictabatur indeque retinebat adulta, membra paſſim incurvata atque contorta. Scrofula proprie dicta in iuventute rhachitidem perpeſſam excepit, multis in collo tumeſcentiis ex parte in exulcerationem abeuntibus foedasque cicatrices reliquentibus conſpicua. Altera vero ſoror a rhachitide leviter ſolummodo tacta nec niſi leviori dein ſcrofularum gradu laborans inito matrimonio cum viro a ſcrofuloſae diatheſeos ſuſpicione prorſus libero puerum peperit nullum in prima iuventute rhachitidis veſtigium oſtendentem, & variolas quoque benignas facile ſuperantem. Verſus ſeptimum vero vel octavum aetatis annum hic puer ſcabie capitis pertinaci affligitur, quam parentes demum inſperſo mercurio praecipitato rubro nec internis ſimul adhibitis remediis extemplo ſanarunt. Sed brevi poſt paedarthrocace affixit primum manus unius digitum minimum, dein ulnae ſuperiorem extremitatem, denique femur, vertebras dorſi plures, tibiam aliaque oſſa male habentem devaſtantemque, puerumque demum poſt exantlatam ſesquiennii ineffabilem miſeriam tabe enecantem. — In hoc exemplo notamus rhachitidis, ſcrofularum, ſcabiei capitis, paedarthrocaces, in una eademque familia promiſcuum ortum. Niſi puero iſti achores, quibus virus humoribus implantatum exitum quaeſivit, repulſi fuiſſent, veroſimiliter peſſimus iſte oſſium morbus omnibus medelae viribus maior non fuiſſet excitatus.

Succurrunt mihi alii ſeptem fratres ſororesque, ex quibus quinque rhachitide affligebantur, duo vero ſcrofulis cum ſcabie capitis iunctis, quae in altero leviter decurrebant, in altero vero malignis accedentibus variolis peſſime cedebant, diuturnam ophthalmiam, corneae maculas, cyſticos colli tumores relinquentes.

Nec rara ſunt talia exempla, ſed quotidie obſervantur. I. P. BüCHNER *) undecim narrat infantes rhachiticos ab una *ſcrofuloſa* matre prognatos, quae ſcrofuloſa diſpoſitio unica praediſponens cauſa fuerit.

Interdum ſcrofulas rhachitidi ſociari, interdum eius ſequelam eſſe, teſtatur CULLEN **). IDEM ***) a quadam debilitate & non raro *ſcrofuloſa* conſtitutione matris in prolem rhachiticum vitium transire refert. Adoleſcente vitio ſcrofuloſo ſubinde rhachitidem quoque accedere, alii †). Acrimoniam rhachiticam ignotam quidem eſſe indole ſua, ſcrofuloſae tamen affinem videri, ipſe conſentit SELLE ††). Rhachitidem, ſi non ſemper, in pleriſque tamen caſibus ſcrofuloſae eſſe originis, TOETTELMANN †††). Rhachitidem nil eſſe, niſi peculiarem ſcrofuloſae acrimoniae ſpeciem, FABRE ††††). Atrophiam atque rhachi-

---

*) Diſſ. de rhachit. perfecta & imperf. Argentor. 1754. recuſ. in HALLER. Collect. Diſp. pract. Vol. VI. p. 235.

**) l. c. §. 1679.

***) l. c. §. 1660.

†) Prix de l'ac. de chir. T. 3. p. 38. 171.

††) Med. clin. p. 229.

†††) Diſſ. cit. §. XXV.

††††) *Unterſuch. aus der Arzneyw.* p. 201.

chitidem eſſe ſcrofuloſam cachexiam, quae in tenella aetate in glandulis abdominalibus fixetur, indeque corpus corrumpat, DIEL *). Acritatis ſcrofuloſae atque rachiticae analogiam agnoſcit quoque KAEMPFIUS **). Rhachitidem ſcrofuloſam commemorant GLISSON, SAUVAGES. Atrophiae & rhachitidis convenientiam omnes agnoſcunt, quin utrumque morbum permulti ſub uno capite pertractant auctores.

Sed plura colligere teſtimonia ſuperſedeo, potius paullo ſpecialius conſiderabo rhachitici morbi atque ſcrofuloſi ſimilitudinem. Glandulae lymphaticae, inprimis meſenterii tum rhachiticis tum quoque ſcrofuloſis ſunt infarctae & recte RUSSELL †) rhachitidem morbum glandularem pronuntiat. Pulmonum tubercula rhachiticis aeque ac ſcrofuloſis familiaria. Cauſae praediſponentes & occaſionales in utroque malo fere eaedem; quin ipſa ſcabies capitis male curata ſaepe cauſa rhachitidis fit ††). Haereditaria propagatio, laxitas corporis & debilitas, faciei color in aliis floridus in aliis pallidus, vultus paſſim inflatus & oedematoſus, abdomen tumidum durum, praecox ingenium, hepar magnum & bilis iners, primarum viarum colluvies acida, pituitoſa, verminoſa, flatulenta, addephagia, ſalivae colluvies, morbi ſecundarii, ni prorſus iidem, ſibi tamen ſimiles (v. g. ſpina ventoſa & paedarthrocace, atro-

*) App. ad WHITE libr. cit. p. 115.

**) *Abhandl. von einer neuen Methode* p. 283. & al. it. Enchir. med. Cap. ult.

†) Oecon. nat. in morb. gland. p. 73. ſq.

††) SWIETENIUS ad aph. 1484.

atrophia, phthiſis, articulorum mala &c.) — pluraque alia momenta utriusque mali analogam naturam deſignant.

Differentia duplici potiſſimum nomine cernitur: 1) Rhachitis oſſa emollit. Scrofuloſum vitium articulos quidem lubentiſſime irruit, oſſaque corrumpit, eorum tamen duritiem vix notabiliter imminuit. 2) Rhachiticus morbus iuniori aetate inde a ſexto menſe ad annum ſecundum usque affligit. Pauca enim rhachitidis manifeſtae in adultis exempla regulam non mutant. — Ex duplici hac potiori diverſitate aliae deduci poſſunt, quod v. c. in rhachiticis caput in volumen longe inſignius diſtendatur, membra debilia ſint, pedes ad ingreſſum inepti, muſculi laxi & in collo tam debiles, ut ingens capitis volumen rite ſuſtinere nequeant &c.

Cauſa igitur utriusque mali proxima in quibusdam momentis diſcrepet neceſſe eſt, inprimis cum affectus quidam ſecundarii (v. c. paedarthrocace vera, qualem in *tertia patre* deſcribam) nunquam ſcrofuloſum, ſed ſemper rhachiticum virus pro cauſa agnoſcere videantur, & rhachitis recentiori demum aevo exorta dicatur. Qualiscunque forſan conditio ſcrofuloſo vitio acceſſit, illudque ita mutavit, ut paſſim diverſa facie incederet, primis videlicet iam annis affligeret & in oſſa potiſſimum dirigeretur horumque nutritionem depravaret atque impediret, penuriam, quod CULLEN exiſtimat, illius materiae inducendo, quae formandis firmioribus corporis partibus dicata eſt. — Ceterum curatius relationem, quae rhachiticum inter atque ſcrofuloſum morbum inde ab origine obtineat, determinare non licet, cum multa profecto in amplo rerum, quae exiſtunt campo,

alta

alta nocte premantur. Sufficiat *ex phaenomenis* utriusque mali analogiam oſtendiſſe.

Scabiem capitis, achores, favum &c. affectus eſſe vere ſcrofuloſae indolis, luculenter iam inde apparet, quod, ſi talis ulceratio incauta medicatione aut alia de cauſa ſiccetur reprimaturque, extemplo ſaepe ſequantur ſymptomata manifeſto ſcrofuloſa v. c. ophthalmia, tumeſcentiae glandularum, narium excoriatio & ſtillicidium, labri ſuperioris tumor &c. Talia ſymptomata ſaepe & ſimul cum ſcabie capitis adſunt, hac uberius manante minuuntur vel evaneſcunt & contra. Criticam quaſi pro ſcrofuloſa cachexia evacuationem hanc capitis exulcerationem dixeris, multam corruptae lymphae vim evacuantem. Sub iisdem plane, ac ſcrofulae circumſtantiis cauſisque praegreſſis contingit, quin in plurimis caſibus haereditariam quoque eſſe, experientia fretus certo perſuadeor. Novi plures familias, quarum progenies ex parte absque praecedentibus achoribus affligeretur ſcrofulis decurſum ſuum abſolventibus, ex parte vero capitis ſcabie afficeretur. Scite VOGELIUS *) pronunciat, ſcrofulas *verum promptuarium dici poſſe tum ulcerum capitis & faciei*, (i e. achorum, favi, tineae, cruſtae lacteae) *tum lippitudinis*. Confirmat idem CHARMETTON **), STOLLIUSque †) ait: *Morbus hic* (achores) *ſcrophulas ſolvit, ut vel inde videas, iure ſtatui, cauſam materialem achorum eandem eſſe cum materia ſcrofuloſa.*

Ti-

*) Praelect. p. 627.
**) Prix de l'ac. de chir. l. c. p. 204.
†) Praelect. in morb. chron. p. 47.

Tineae capitis cum achoribus & ſavo multa analogia eſt; quin ab iis vix, niſi pertinacia & malignitate & cruſtae maiori denſitate differt. Plerumque tineae iunguntur glandulae colli induratae nec obſcura cachexiae ſcrofuloſae ſigna. In familiis, quibus ſcrofuloſum vitium haereditarium potiſſimum occurrit, (niſi ſcil. contagione contracta fuerit,) ipſa quoque haereditate transferri videtur. Nec deſunt affectus ſcrofuloſum characterem referentes tineae vel ſocii vel pediſſequi. Quae quidem vero faciunt ſimillimum, illam ex dyſcraſia ſcrofuloſa in capillorum potiſſimum radices coniecta pullulare. Conſentit mecum STOLLIUS *) inquiens: „Tinea a viru ſcrofuloſo ſed acriore & degenerante naſcitur; differt rebelli indole & mali magnitudine ab achoribus, etſi materies genitrix cum cauſa proxima achorum, cruſtae lacteae & ſcrofularum eadem ſit." Scrofulas, porro docet, & praecedere & ſaepe ſimul adeſſe; internaque remedia eſſe ea ipſa, quae ſcrofulis medentur.

Neque abſimile vitium in cruſta lactea ſubeſſe videtur. Cel. STRACK peculiarem acrimoniam aſſumit. Equidem minime nego, vitium cruſtae lacteae aeque ac rhachitidis, achorum, tineae, &c. ab illo, quod ſcrofulam proprie dictam facit, aliquantulum diſcrepare. Attamen hi affectus omnes non niſi varietate mihi differre videntur. Unum idemque vitium ſubeſſe crediderim ab accidentalibus circumſtantiis mutatum variante habitu incedens. — Cruſta lactea, licet primo potiſſimum anno, infantes lactentes affligat, ab acrimonia tamen ſcrofuloſae indolis produci

---

*) l. c. p. 49. 50.

duci videtur *), cum docente experientia iis praeſertim infantibus moleſta ſit, qui a parentibus ſcrofuloſis nati, vel hoc vitio infectis nutricibus lactati ſunt, praeterea plerumque ſcrofuloſi tumores ſimul in ſcenam prodeant. STRACKIUS **) cruſtam lacteam facile periculoſam evadere poſſe docet, *relapſu ad glandulas* vel ſpontaneo, vel incongrua medicatione externa excitato; malum quoque eſſe, ſi cruſta non ſufficienter & copioſe ſatis erumpat, cum remanens materia facile occupet glandulas meſentericas aliasque, unde abdomen tumens, perpetua fames, mors tabida. — Quis hic non cernit inſignem lactuminum affectuumque ſcrofuloſorum analogiam? quam ipſa cruſtae lacteae haereditaria indoles, nec non medela (violam tricolorem quippe in ſcrofulis quandoque eximiam reperi, veluti in ſecundo Tomo dicetur, praeterea parum differt medela omnis cruſtae lacteae ſcrofulaeque meſentericae interna) ſatis confirmat.

Conſentientes ceterum habeo Clmum DIEL †), tum ſcabiem capitis tum quoque cruſtam lacteam pro primis cachexiae ſcrofuloſae evolutionibus habentem, quae perdurantibus occaſionalibus cauſis in omnes ſcrofularum gradus tranſire poſſint; — & STOLLIUM ††) dicentem: „Cruſta lactea morbus eſt affinis ſcrofulis, ab eodem quoque, ut videtur veroſimillimum, veneno oriundus — *accidentale* ſolum diſcrimen inter ſcrofuloſum morbum

*) Med. clin. p. 233.
**) Diſſ de cruſta lact. p. 41. 42.
†) l. c. p. 43.
††) l. c. p. 40.

bum & cruſtam lacteam mihi viſus ſum ſemper obſervaſſe. — Ea opinio a vero mihi abludere non videtur, quae unam eandemque naturam genitricem utriusque morbi aſſumit, ita tamen, ut nunc glandulae occupentur, nunc & aliae partes eaeque praeprimis, quas a cruſta lactea obſeſſas deprehendimus. — Scroſulae difficilius & tardius ſanantur, quam cruſta lactea. — erumpens cruſta lactea ſolvit judicatque ſcroſulas; — virus ſcroſuloſum ſub cruſta lactea frequentiſſime latet.

§. 42.

De ſcroſulis complicatis & ſpuriis ſpeciatim & quidem primo loco de affectibus ſcroſuloſis poſt variolas.

Notatis iam morbis, qui ex cachexia ſcroſuloſae verae perquam analoga pullulare videntur, ad complicatas ſpuriasque ſcroſulas a nobis ſupra (§. 40.) dictas ſigillatim perſtringendas devenimus. Agmen ducant glandularum tumores aliique affectus ſcroſuloſo charactere imbuti poſt variolas ſaepe remanentes, cum illi maximi omnino momenti & curatiore ſcrutinio digniſſimi ſint.

— Inter ſcroſuloſam cachexiam & variolas nexus quidam obtinere videtur; cum ſaepe variolae ſcroſuloſos corripientes poſteriorem hunc morbum imminuant vel plane tollant, ſaepe e contra ſcroſuloſi vitii initia quam maxime augeant & exacerbent, ſymptomatibus ſcroſuloſis poſt perpeſſas variolas non remanentibus ſolum ſed in peius ruentibus, ſaepe demum, ne dicam plerumque, ſcroſuloſi variolis benigniſſimis ac leviſſime decurrentibus defungantur.

MEA-

MEADIUS *) obſervat, iis, qui tumoribus glandularum ex tenaci lympha laborabant, morbum varioloſum utilem fuiſſe. CULLENUS **) exempla vidit infantum ſcrofuloſorum variolis correptorum, in quibus ſcrofulae inde non peiores ſolum non evadebant, ſed qui poſtea quoque per aliquod tempus melius habebant. Simile quid equidem in nupera epidemia varioloſa Tremonienſi (ann. 1785. 86.) aliquoties animadverti. Videtur ſcrofula a variolis interdum exacerbari, interdum e contra exſtingui vel ſaltem mitigari. Poſterius hoc tum a motu febrili vehementi in variolis naturalibus utplurimum contingente, omnia movente, diſſolvente, aſſimilante, ſubigente, tum a criſibus varioloſi morbi, potiori nempe metaſtatica ad cutim, variisque acceſſoriis, quibus ſcrofuloſa materies una cum varioloſa forſan aliquando excernitur, accedente quadam totius corporeae conſtitutionis immutatione, derivari poteſt.

Sed conſtat quoque experientia, benignae valde indolis variolas perſaepe eſſe in ſcrofuloſis. Cum nuper apud nos variolae inſigni cum diritie graſſarentur, gaſtrico-putridum aſſumerent characterem, & in omnibus fere, quos absque inſitione corriperent, evaderent confluentes, inſignem quoque ſtragem ederent, obſervare mihi contigit in aliquibus infantibus ſcrofuloſis variolas numero perpaucas & ita comparatas, ut vix quodammodo aegrotarent patientes; quin in binis ſcrofuloſis pueris 6-8 annorum vix decem, aut quindecim

*) de variol. & morbill. p. 71. 72.

**) l. c. Vol. IV. §. 1679.

decim puſtulas numeravi, licet minime inſititiis ſed naturalibus laborarent variolis. Etiam CULLENUS in ſcrofuloſis plerumque benignas variolas obſervavit. BURSERIUS *) ait: „ex cachexia, ſcrophulari morbo, ſpina ventoſa certo praedici nequit variolarum futura malignitas, quod in his interdum benigniſſimae variolae obſervatae ſint.“ Alius **) obſervatum eſſe, innuit, illos, qui diatheſi ſcrofuloſa, labe ſcorbutica, arthritica & lue haereditaria latente inquinati, qui tumido paſtaceo corporis habitu, rhachitide, achoribus aliisque leproſis cutis vitiis affecti ſunt, variolas facillime tolerare & hac ratione mala haec quandoque feliciter conſanari. Inſititias quoque variolas in ſcrofuloſis, cachecticis, herpeticis, ſpina ventoſa laborantibus &c. feliciſſime cedere obſervatum †).

Undenam vero hoc? Forſan frigidum laxumque corpus ſcrofuloſum vix ad graves a ſuperaccedentibus cauſis, v g. miasmate varioloſo febres concipiendas idoneum eſt, neque hinc virus varioloſum valde multiplicare valet. Forſan morboſa corporis conſtitutio humores iam ita mutavit, ut accedenti novo morbido fermento locus non amplius ſit, ea cum vehementia tantoque cum effectu in illos agendi, ac feciſſet, ſi adhuc integri necdum a cauſa morbida alterati fuiſſent. Sic & ſecundum obſervationem Clmi SCHERFF ††) pueri ſcro-

*) Inſtit. med. pract. Vol. II p. 216. ed. Lipſ.

**) SEISSENSCHMID diſſ. de inſit. variolar. Duisburg. 1787. p 22.

†) DIMSDALE, CAMPER aliique.

††) *im N. Mag. für Aerzte*, B. VI, St. 2.

ſcrofuloſi tuſſi convulſiva aut non aut admodum benigna corripiebantur. — Forſan effluvia varioloſa in corpus penetrantia transformantur & naturam ſcrofuloſam induunt, id quod ex vitii ſcrofuloſi effectibus, uti mox dicemus, poſt perpeſſas variolas perſaepe auctis & exacerbatis fere concluderes. Sic quoque animadverſum, leproſos undique peſte decumbentibus cinctos a peſte immunes permanſiſſe; quod ex hac ratione evenire cenſetur, quia effluvia peſtifera, corpus leproſi intrantia inverſa leprae naturam induant *). Forſan denique ſymbolum affert acida intemperies in ſcrofuloſis tam ſaepe obvia. Si enim haec in infantibus adfuerit, nec ſyſtema nervoſum inde afficiatur atque in ſpasmos & convulſiones ruat, ceteris paribus ſemper obſervaverim benignas variolas.

Minime tamen ſemper variolae in ſcrofuloſis leves cernuntur, ſed haud raro peſſimae potius indolis evadunt, veluti nec cruſta lactea a malignis praeſervat variolis. (STRACK). Caſus vero, in quibus leves vel graves variolae ſcrofuloſos corripiunt, quantum equidem ex meis obſervationibus concludere poſſum, vix accurate determinari poterunt.

Liceat hoc loco cogitata quaedam de variolis inſititiis proferre, ulteriori ſcrutinio digna forte viſa. Diximus modo, ſcrofuloſos benigniſſimas plerumque pati variolas, numero paucas. Hae utplurimum nullam cicatricem relinquunt, ſed cutim glaberrimam, formoſam, qualis generatim in ſcrofuloſis plerisque cernitur. Conſtat vero etiam, quam-

*) TEICHMEYER inſtit. pathol. & pract. p. 18.

quamplurimos eorum, qui vitium ſcrofuloſum clanculum aut manifeſte in corpore alunt, adulta aetate phthiſi pulmonali exſtingui, quin maximam partem phthiſium eſſe e ſcrofuloſarum numero, SAUVAGES & MEAD pronunciarunt & Cl. PORTAL adeo omnem omnino haereditariam phthoën ſcrofuloſam eſſe (licet minus vere) docuit. Iam vero ex attenta phthiſicorum, inprimis ex haereditate vel ſcrofuloſa cauſa talium, contemplatione compertum habeo, tabidum morbum rariſſime in iis occurrere, quorum facies a confluentibus aut copioſis variolis foveis atque cicatricibus deturpata cernitur; quam quidem obſervationem quilibet, omnes quos unquam noverit phthiſicos in memoriam revocando, confirmatam videbit. Homines formoſa floridaque facie, circumſcripta genarum roſea rubedine & tenera cute gaudentes facile phthiſeos pulmonicae rapinam fieri, dudum innotuit; ſed ad fovearum & cicatricum varioloſarum abſentiam nemo hucusque, quantum apud me conſtat, reſpexit, licet hoc ad pathologiam illuſtrandam & fortaſſis nexum quendam inter varioloſum morbum atque phthiſin recentiori aevo certo certius, quam olim frequentiorem, detegendum, maximi eſſe videatur momenti. — Ipſum contagium phthiſicum facilius afficit glabros, quam variolis foedatos. Certe, quod ex iis, quae mihi occurrerunt, exemplis audacter concludo, tum ſolummodo foveis & cicatricibus varioloſis obſignati phthiſici fiunt, ſi prava diaeta vitaeque genere inſalubri vel peripneumonia aut vi externa &c. pulmones graviſſime afficiuntur. Nunquam vero illa phthoë laborant, quae ſponte quaſi ſubdoleque ingruit atque in tenebris obſerpit. Sique videas aegritudines ex ſymptomatum ratione phthiſi

phthiſi pulmonicae vel ingruenti vel adeo multum iam progreſſae ſimiles in iis, quorum cutim variolae exaſperarunt, in plerisque tamen caſibus ſalutem (expertus loquor) praedicere poteris. — Unde nam vero hoc, mirum profecto, &, niſi experientia tam luculenter oſtenderet, incredibile fere phaenomenon? An fortaſſis copioſae variolae externam corporis ſuperficiem devaſtantes virus e corporis latebris penitus eliciunt, ut ne ex parte remanens clanculum deliteſcat & ſubdolas ſanitati inſidias ſtruat? vel an, quod fere probabilius videtur, pulmones in morbo varioloſo malignius decurrente iam graviter affecti, leviter quaſi ſuppurati indeque quaſi cicatriſati & molimine quodam ſuppuratorio, quod poſtea tabem inducere poſſet, exuti ſunt? Namque contagio variolarum naturalium in plerisque caſibus per pulmones fieri ibidemque infectionem & eruptionem infectoriam localem excitare videtur; tantumque non ſemper in copioſis & confluentibus variolis graviter pulmones laborare cernimus. Adeſt tuſſis, raucedo, ſumma pituitae accumulatio, peripneumonia, quin plerique, qui enecantur, obeunt peripneumonici; vel phthiſica mors perpeſſas variolas immediate excipit.

Comparemus naturalibus variolis artificiales. In his prima infectio in corporis ſuperficie fit, ſummaque cum ſollicitudine cavetur, ut ne pulmones atque ventriculum virus ingrediatur morbusque hinc in viſceribus ſaeviat. Multiplici artificio eruptio ad pauciſſimum numerum reſtringitur. Cavetur proinde etiam deſtructio moliminis ſuppuratorii pulmonum.

Anne ex hiſce omnibus, conſideratis ſimul ſcrofuloſa phthiſi laborantibus, in quibus vix non

ſemper tenera & glaberrima cutis cernitur, concludi poterit, quamcunque cauſam, ſive ſcrofuloſa cachexia ſit, ſive variolarum inſitio, debitam virus varioloſi multiplicationem indeque forſan ſubſequentem moliminis cuiusdam ſuppuratorii pulmonum deſtructionem, plus iuſto atque incongruo tempore caventem diſponere ad phthiſin in florenti aetate lethum afferentem? Anne forſan plurimi eorum, in quibus eruptionem varioloſam ope inoculationis ad pauciſſimum puſtularum numerum reſtringimus, ſi fuiſſent naturalibus variolis correpti, foedata quidem facie, ſed diſpoſitione ad phthiſin ſublata morbum ſuſtinuiſſent, cuius curandi methodus hodie tam egregiis adminiculis fulta & emendata habetur? Mox dicatur, poſt variolas ſaepe affectus ſcrofuloſos renatur, poſt variolas ſaepe affectus ſcrofuloſos renaſcere. Hoc poſt artificiales crebrius, quam naturales evenire, aſſeruit DE HAEN *). Cui vero licet Cl. CULLEN **) contradicat, expertus tamen diffiteri non poſſum, ſi infantibus cachexiae ſcrofuloſae initia iam prae ſe ferentibus variolae inſerantur, illam omnino ſuperatis variolis auctam plerumque & exacerbatam cerni. Plures mihi innoteſcunt infantes tales, qui ann. 1786. durante varioloſa epidemia methodo Gattiana inoculabantur, indeque paucas quidem puſtulas, ſed valetudinem infirmatam, appetitum imminutum, languorem amiſſamque vivacitatem, praeprimis vero abdomen tumidum auctaque cachexiae ſcrofuloſae ſymptomata reportabant. Ipſe quoque puerum ſcrofuloſum & puellam talem methodo Gatti-

Wagle-

---

*) Rat. med. P. IX.

**) l. c. §. 1679.

Wagleriana inoculans, poſt facillime cedentem morbum ſcrofulas numero auctas, abdominis incrementum & ſ. p. obſervavi, licet in fine morbi non negligerem laxare alvum, ceteraque, quae praecavendis morbis ſecundariis varioloſis inſerviunt, auxilia adhiberem. Neque hinc a me impetrare poſſum, ut aſſentiam Clmo GATTI *), qui docet, eryſipelas, ulcera & *nodos, poſt artificiales variolas ſaepe contingentes* non inſitioni rite adminiſtratae (ita nempe, ut ne vulnus oriatur in loco inſertionis) eſſe adſcribendos, ſed methodo inoculandi alias ſuetae; quamvis ſententiam ſuam variis argumentis corroborare annitatur.

Quid ergo? Anne ſcrofuloſos vel ad ſcrofulas inclinantes inoculans, diſpoſitionem hanc augendo, ſimul vero molimen ſuppuratorium pulmonum minime deſtruendo, ſeminium forſan phthiſeos ſcrofuloſae corpori implantaveris, licet glaberrimam pulcramque cutim conſerves? An fortaſſis hinc ratio elucet, cur in variis populoſis urbibus, ubi inde a longo tempore variolarum inſitio in uſu fuit, nunc tamen mortalitatem ne hilum quidem imminutam deprehenderint tabulas viventium & mortuorum ſollicite inter ſe comparantes.

Quae quidem cogitata minime tanquam ſatis maturata, ſed ut problematica ſolum conſiderari velim. Hodie interim facile veniam iis dant medici, qui variolarum inſitioni contraria forte viſa communicant; cum, fere dixerim, in dies creſcat adverſariorum inoculationis numerus. Id quidem omni

*) *Bemerkungen über das Verfahren bey der Inoculation der Blattern, überſ. v.* WAGLER. p. 58. 59.

omni dubio caret, illam *pro nunc*, ut ita dicam, periculum morbi vix non omne tollere, ipſe praeterea novi plurimos, quibus inſitio variolarum quondam adminiſtrata eſt, nunc adultos & firma vegetaque valetudine gaudentes. Attamen, quod haud paucis in caſibus variolarum inoculatio diſpoſitionem ad pernicioſos chronicos morbos ingenerare vel ſaltem augere poſſit, plurima profecto ſunt, quae metuere nos faciant.

Sed video, me nimis fere digreſſum eſſe. Inſtitutum erat de affectibus ſcrofuloſis variolas perpeſſas conſequentibus diſſerere. Et frequenti omnino conſtat experientia, poſt variolas, praecipue ſi in ultimo earundem ſtadio debitum regimen non obſervetur vel aliae cauſae occaſionem ſubminiſtrent, haud raro omnis generis morbos chronicos, metaſtaticos, remanere, quos inter frequentes quoque ſunt glandularum tumores.

Duplicem metaſtaſium varioloſarum claſſem equidem conſtituendam cenſeo. *Aliae* nempe ſtatim in ſtadio ſuppurationis vel exſiccationis contingunt, dum pus varioloſum in humorum maſſam reſorbtum vel intrinſecus v. c. ad pulmones in cerebrum &c. deponitur, quod omnino periculoſiſſimum, vel, quod minori periculo fit, extrinſecus in aliquo corporis loco colligitur. Sic v. c. SWIETENIUS *) tumorem glandularum inguinalium in puero variolis confluentibus periculoſo decumbente, maturationis tempore ſubito ortum vidit; morbus feliciter ſublatus & cum eo quoque tumor ſponte evanuit. Aſt de huiuscemodi metaſtaſibus varioloſis nobis hic ſermo plane non eſt.

Aliae

---

*) Commentar. V. ad aphor. 1402.

Aliae vero non ſtatim in ſtadio naturationis vel exſiccationis variolarum, vel paulo poſt morbum ſuperatum contingere ſolent, ſed vel plures hebdomades poſt exſiccationem conſequuntur, lente proſerpunt, nec adeo in collectionibus puris variolosi conſiſtunt, ſed potius a ſubtiliori varioloſa acrimonia producuntur, corpori adhuc inhaerente, in has illasve partes coniecta easque male afficiente & innumeram morborum varietatem inducente. Et huc quoque pertinent glandularum colli aliarumque tumeſcentiae cum ophthalmia, capitis ſcabie aliisque veris ſcrofuloſi vitii indiciis coniunctae. Anne vero hinc merito concluditur, varioloſam acrimoniam degenerare & in ſcrofuloſam mutari poſſe; & anne hoc contra ſpecificam vitii ſcrofuloſi indolem pugnat? Minime. In nupera epidemia varioloſa, in plurimis infantibus, inprimis pauperculis, quibus non ſuppeteret debitum regimen & medicaminum neceſſarius apparatus tales affectus ſcrofuloſos remanere vidi, ſed in omnibus ante varioloſum morbum initia cachexiae ſcrofuloſae iam aderant. Variolas inſititias ſcrofuloſam diatheſin auctam reliquiſſe, mox narravi. Ex hiſce obſervatis concludere nullus dubitabam, tunc ſolummodo affectus ſcrofuloſos poſt variolas contingere, ſi diatheſis ſcrofuloſa iam inhaeſerit vel luculentis cachexiae initiis corpus iam laboraverit. Et maxime laetabar, cum IVta pars Operis CULLENIANI ſaepius laudati ad manus meas perveniſſet, egregium hunc tot bonorum feracem virum perfecte mecum conſentire. Is enim *), *iuxta meas obſervationes*, ait: *tunc ſolummodo vitium ſcro-*

*) l. c. §. 1679.

ſcrofuloſum mox poſt perpeſſas variolas erupit, ſi iam antea diſpoſitio ſcrofuloſa ſatis diſtincte cognoſci poterat.

Videtur tali in caſu morbus varioloſus diatheſin ſcrofuloſam in ſyſtemate lymphatico latentem in actum ducere atque e ſomno ſuo quaſi expergefacere, vel etiam acrimonia varioloſa cum ſcrofuloſa materie iam ingenerata ſeſe coniungere eamque magis efficacem reddere.

Vidi puerum triennem levioris vitii ſcrofuloſi ſigna referentem, confluentibus peſſimis variolis aegerrime perſanandis correptum. Per aliquot poſt ſuperatum morbum hebdomades integra frui ſanitate videbatur, tum vero apparuere ſcrofuloſae dyſcraſiae indicia aucta & peſſima caries os iugale prehendere cepit, — vera paedarthrocace, cum primo tumor oriretur cutaneus cum rubore ad livorem inclinante, in ulcerationem tranſiens, & aperto ulcere os zygomaticum quodammodo inflatum appareret ac brevi teterrima carie foedaretur. Haec annum ultra omnem medelam reſpuens totum fere os deſtruxit; nihilominus tandem ulcus ad conſolidationem pervenit, facie vero profundis foveis cicatricibusque miſere deturpata. — Alia mihi occurrit puella biennis levioribus colli glandularum tumeſcentiis & tumidulo abdomine conſpicua, achoribus vero nunquam laborans. Haec variolis corripitur ſatis crebris nec absque periculo cedentibus. Quibus perpeſſis glandularum tumidarum numerus maior apparuit, naſus ulceratus, abdomen magis tumens, oculi demum vehementiori ophthalmia, ſcrofuloſae ſimillima tentabantur. Ad hancce praeprimis debellandam inter alia remedia, veſicans quoque ad nucham poſui. Extemplo totum capillitium achoribus

ribus ulcerabatur & velut incantamento profligata ſilebant ſcrofuloſa ſymptomata omnia.

Maxima ſane medici attentione opus eſt, ſi ſcrofuloſae diatheſeos ſigna prae ſe ferentes variolis corripiuntur, ne affectus peſſimi e ſcrofuloſorum genere poſt ſuperatum, leviſſime licet haud raro cedentem morbum varioloſum remaneant; cum omni licet opera adhibita ſaepius vix praecaveri poſſit, quo minus varioloſum virus cum ſcrofuloſo connubium ineat vel ſcrofuloſam diſpoſitionem evolvat; & in corpore perſeverans pernicioſos morbos inducat.

Notatu digniſſimus mihi in nupera epidemia varioloſa quoque occurrit caſus ſymptomatum ſcrofuloſorum poſt variolas *ſine eruptione* remanentium. Puellus quatuor annorum, mercatoris filius, debilibus parentibus prognatus, inſuper partu vel integrum menſem praematuro excluſus, tenerioris infirmiorisque ſtructurae, ceterum tamen ſcrofuloſae cachexiae vix quibusdam indiciis conſpicuus, de reliquo etiam ſanus, febre valida absque ulla cauſa praecedente comperiunda corripitur. Cum in univerſa urbe tunc temporis variolae dominarentur & ſpecificus ex ore foetor varioloſus prodiret, vomituritio frequens cum lumborum dolore & diarrhoea, (tunc apud omnes in primo variolarum ſtadio ex charactere epidemico contingente) adeſſet, variolas inſtare praedixi. Sed prodiere nullae. Circa ſeptimum morbi diem largi ſudores ingruebant, qui per aliquot dies continuabant, eo quidem cum effectu, ut omnia morbi ſymptomata in dies magis magisque imminuerentur & puer integrae ſanitati reſtitueretur. Hunc morbum febrem varioloſam ſine eruptione fuiſſe, ſtatim ſuſpicabar, & certum me reddidit immu-

immunitas pueri a contagio varioloſo, licet haec lues ultra novem menſes adhuc in urbe & quidem in proxima noſtri aegroti vicinia graſſaretur; inſuper plurima contagii ſuſcipiendi occaſio eſſet puello ipſaque inſitio fruſtra tentaretur; & denique pater nunquam conſpicuis ſe laboraſſe aſſeveraret variolis. — Tres circiter poſt huncce perpeſſum morbum ſeptimanas, diſtincta quaedam ſcrofularum ſigna in ſcenam prodiere. Tubercula colli, narium pruritus & excoriatio, urina viridescens poſteaque albida, abdomen tumidulum; & per totum corpus ulcuſcula orta, maiora, minora, quin quaedam ad phaſeoli magnitudinem aſcendebant. Haec ulcuſcula vero non in glandulis conglobatis haerebant, ſed in cute, & praeſertim in manibus, ſub mento, in collo &c. ſe oſtendebant. Plorabant pauculam tenuem ſaniem, ruberrima tunc apparebant & ſtatim exſiccabantur, margine cruſtae nigricantis formam induente; tum extemplo in aliis locis reſurgebant. Maiora non parum dolebant. Per plures menſes haec ulceratio durabat, in capite quoque achores orti una cum fluxu aurium. Purgantibus repetito exhibitis nulli prodiere vermes. Mercurium ſaccharatum, nec non morſulos antimoniales una cum violae tricoloris decocto vaſculatim hauriendo cum ſucceſſu dedi; demumque cortex peruvianus & modicus vini potus puerum perfecte ſanarunt.

Ceterum caſus, in quibus ſcrofulae a variolis vel mitigantur diſpelluntur que vel exacerbantur, praeciſe determinare nequeo. Id tantum moneo, medicum prudentem, uti ad plurimos chronicos morbos, ita & ad ſcrofulas debellandas, febre qualicunque fortuito exorta egregio cum fructu ſaepe uti poſſe. Saepe tamen, omni licet attentione

tione adhibita ſcrofuloſam dyſcraſiam poſt variolas auctam emergere, adeo mirum videri non debet, cum ſimile quid in aliis morbis cachecticis cum acutis miasmaticis concurrentibus itidem haud raro eveniat. Sic narrat HAENIUS *) puellam ſcabioſam a priſtino malo non liberaſſe morbillos, ſcabies quippe longe ferocior poſt morbillos curatos rediit. Idem binis in puellis poſt variolas feliciter ſuperatas & ſcabiem ſimul curaſſe viſas obſervarunt alii **). Iuvenculam novi guttae roſaceae initiis in facie foedatam. Quae cum variolis corriperetur copioſiſſimis, iisque ſuperatis gutta roſacea penitus evanuiſſet, ſperavit, hoc malum ſimul funditus eſſe ſanatum. Sed vanam ſpem fecit faciei effloreſcentia brevi poſt, & quidem inſigni cum augmento, rediens.

§. 43.

Tumeſcentiae glandularum poſt morbillos, ſcarlatinam aliosque febriles morbos.

MORTONUS †) ait: *Strumoſos tumores — variolis, morbillis & febri ſcarlatinae, morbis congeneribus, plus, quam caeteris quibuscunque morbis ſupervenire ſolere, omnes in medicina exercitati probe norunt.*

Et quidem morbillos, inprimis ni in ultimo ſtadio debitum adminiſtretur regimen, maxime ſi admittatur refrigerium, haud raro omnis generis mor-

*) Theſ. ſiſt. febrium diviſiones. Vienn. 1760.

**) Commentar. de rebus in ſc. nat. & med. geſtis. Vol. IX. p. 468.

†) Pyretol. Cap. X. p. m. 134.

morbos chronicos & inter hos quoque glandularum tumores excipere conſtat. Non tamen tale quid adeo frequenter poſt morbillos obſervatur, quam poſt variolas, cum hae ceteris paribus morbum longe graviorem conſtituant. Interim, ſi cogitemus, morbilloſum virus in lympham potiſſimum dominari, id quod ſatis ex ſymptomatibus catarrhalibus morbillos conſtanter concomitantibus apparet, mirum ſane non videbitur, illius quandoque reliquias in ſyſtemate lymphatico obſervari. Cl. HOME *) morbillos interdum una vice ſaepius invadere refert, & hoc praecipue fieri, ſi unam vel plures glandulas tumidas relinquant, in quibus tunc miasma morbilloſum deliteſcat, data occaſione ex ſuis receſſibus iterum proſiliens; quale exemplum ipſe narrat. — Neque dubium eſt, virus morbilloſum, aeque ac varioloſum, diatheſin ſcrofuloſam evolvere vel cum initiis dyſcraſiae ſcrofuloſae ſeſe coniungere atque affectus characterem ſcrofuloſum prae ſe ferentes relinquere poſſe, cum hoc experientia ſatis commonſtret. Ceterum minime nego, interdum glandularum tumores poſt variolas aut morbillos remanentes absque ulla concurrente cauſa ſcrofuloſa ortos fuiſſe, licet hoc rariſſime fieri credam, ſemperque tunc exulare cachexiae ſcrofuloſae ſigna perſuadear.

Quae *ſcarlatinam* febrem concitat, materiae morbidae inſignis aptitudo ineſt, glandularum, praeprimis colli & ſalivalium tumores iam in ipſo febris decurſu generandi & diu ſaepe poſt iam perpeſſam relinquendi, licet nulla cauſa ſcrofuloſa ſym-

*) Medical facts and experiments. p. 280.

ſymbolam afferat. — Cum ann. 1787 apud nos epidemice ſaeviret ſcarlatina & infantes potiſſimum atque iuniores, paſſim tamen quoque adultos invaderet, obſervabam in plurimis, potiſſimum adultis, non febrem ſcarlatinam declaratam, ſed glandularum colli, parotidum, maxillarium, tonſillarum &c. tumores phlegmaticos, cum nauſea, cephalalgia, aliqua virium proſtratione & paſſim quoque febre coniunctos. Qui leviorem hunc morbum patiebantur, a vera ſcarlatina cum exanthemate coniuncta immunes manebant. Emeſis, unum alterumve purgans ſalinum, & tunc ſpiritus Mindereri cum tartaro emetico, ſale medio & infuſo flor. ſamb. & externe Empl. de meliloto cum camphora hunc affectum paucis diebus profligabant. — Quae vero poſt ſcarlatinam veram remanebant, glanduloſas tumeſcentias, in plerisque caſibus, prorſus non ſcrofuloſas fuiſſe nuncupandas, ſatis apparebat tum ex facili diſcuſſione, tum, ſi forſan in ſuppurationem tranſirent, ulceris facili & absque mora utplurimum conſequente conſolidatione; prorſus ceterum exulantibus cachexiae ſcrofuloſae ſignis. Ex adultis feminis frequentius, quam viris tales glandularum tumores reſiduos moleſtos fuiſſe obſervaverim. Nec non iisdem ii prae aliis patere mihi viſi ſunt, qui quondam affectibus ſcrofuloſis laborabant, quibusque forſan debilitas quaedam ſyſtematis glanduloſi atque lymphatici ſupererat. Neque prorſus deerant, haud tamen frequentia exempla, ubi ſcarlatina pueros ſcrofuloſos prehendens poſteriorem hunc morbum auctum & exacerbatum relinqueret.

Scarlatinae valde analogum morbum conſtituit *angina maligna* ſ. *gangraenoſa*, poſt quam itidem obſervatum eſt, glandularum, colli inprimis,

mis, tumores remanſiſſe, interdum quoque abdomen tumidum, quod ſine dubio magnam partem a tumidis meſenterii glandulis provenit. Frictiones, amara, cortex, leniora martialia iuvarunt praemiſſis laxantibus. (HUXHAM, IOHNSTONE, FOTHERGILL &c.)

Poſt *febres acutas* cuiuscunque generis, praecipue tamen, quarum fomes primis viis inhaeſerit, glandularum ſaepe tumores oriuntur, tanquam metaſtaſes perfectae vel imperfectae, levantes vel non levantes, remanentes diu vel evaneſcentes brevi. Metaſtaſes ad parotides, glandulas axillares, inguinales, antiquiſſimis medicis ſatis notatae. RUSSELL *) aſſerit, glandularum aliquas, inguinales potiſſimum, tempore pubertati propiore fere ſemper patere febrium, inprimis malignarum criſi. *In Commentar. Inſtituti Bononienſ.* **) deſcriptam legimus febrem epidemicam bilioſam cum petechiis & verminoſa colluvie, qua perpeſſa nonnullis colli glandulae intumuerunt, ſed tumores iterum evanuere absque pravis effectibus.

Poſt *febres intermittentes*, inprimis autumnales, vel ſuppreſſas vel male curatas ſaepiſſime infarctus viſcerum abdominalium & inprimis quoque glandularum meſentericarum obſtructiones ventris tumorem efficientes, remanere, inter omnes conſtat. *Hinc*, ait SYDENHAM †), *niſi annis, quibus intermittentes autumnales praedominium habent, verae rhachitides rarius occurrunt, quod obſervatu*

*) Oecon. nat. in morb. gland. Cap. V.

**) Tom. VI. Bonon. 1783.

†) Prax. med. p. 122.

ſervatu dignum; & alibi *): *Infantes autem poſt febres autumnales cum continuas, tum intermittentes, hectici aliquando fiunt. Ventres eorum inflati, tumentes ac duri evadunt; ſaepe etiam tuſſes aliaque tabidorum ſymptomata ſubnaſcuntur, quae rhachitidem plane mentiantur.*

§. 44.

Tumores glandularum catarrhales & a refrigerio oriundi.

In angina ſeroſa, odontalgia catarrhali, gravedine, generatim in *catarrhis*, non raro glandulae circa collum, caput & ſub mento, tum conglomeratae ſalivales, tum conglobatae intumeſcunt; qui quidem tumores, licet docente BIERCHéN **) ſaepe ſatis pertinaces ſint, nec ſuetis cedant remediis, plerumque tamen abeunte catarrho ſponte evaneſcunt vel facile ſaltem diſcutiuntur. A ſcrofulis tumores catarrhoſi, monente CHARMETTON †), ex eo facile diſtinguuntur, quod molles ac leviter ſenſiles ſint & facile reſolvantur. In infantibus ac iunioribus praecipue obſervantur, quorum glandulae laxae & debiles ſunt, & non raro per longum tempus, catarrho licet depulſo, in iis perſiſtunt. Scrofuloſi infantes inprimis catarrhis obnoxii eſſe videntur, indeque malum illud haud parum exacerbatur. Ophthalmia nempe ſcrofuloſa accedente catarrho gravius afficit, narium ſtillicidium & excoriatio labiorum augetur,

*) Ibid. p. 120. ſq.

**) *vom Krebſe* p. 40.

†) Prix de l'ac. de chir. 3. p. 201.

tur, increſcitque glandularum tumentium numerus.

Huc quodammodo referendus quoque ille glandularum morbus, quem BURSERIUS *) tam praeclare delineavit, quemque Angli *the Mumps* **), Galli *Oreillons*, *les Ourles*, Itali *Orecchioni* vocant. Cui vero cum ſcrofulis nullam affinitatem eſſe, nemo certe cauſas eius, ortum totumque decurſum †) perpendens, dubitabit; ineptequе profecto illum forſan etiam ad ſcrofulas pertinere, idcirco ſentit ACKERMANN ††), quoniam infantes praecipue infeſtarit, qui quidem ſcrofulis prae aliis obnoxii ſint. Namque non ſcrofulis ſolum, ſed quibuscunque ad glandulas congeſtionibus iuniores inprimis patere, conſtat.

Generatim obſervaverim, morbis febrilibus ex catarrhali & gaſtrico charactere complicatis facillime glandularum tumores adiungi. Huius v. c. indolis, ſi a ſpecifico miasmate diſceſſeris, ſcarlatina & modo dictus glandularum morbus eſſe videntur. Ceterum rariſſime occurrere morbos catarrhales puros, ſed illos plerumqueललbilioſo vel alio primarum viarum inquinamento complicatos eſſe, hodie ab omnibus agnoſcitur.

An a catarrhalibus diſtinguendi ſunt glandularum tumores a *refrigerio* oriundi? Clima frigidum & humidum ad ſcroſulas veras efficiendas cau-

---

*) Inſtit. med. pract. Vol. III. Cap. XV.

**) vid. e. g. GOOCH Caſes and Remarks, p. 17. ſq. Cf. RUSSELL oecon. nat. p. 114.

†) Cf BURSERIUM d. l. & ab illo citatos Auctores.

††) Diſſ. cit. p. 7.

cauſae remotae inſtar multum conferre, deinceps dicetur. Sed de hac re nobis hic ſermo non eſt. Intelligo potius glandularum tumeſcentias absque alia reperiunda cauſa poſt refrigerium, & quidem ſubito ſaepe, contingentes. Cl. REID *) glandulas in uno colli latere frigida aura per momentum admiſſa tumeſcere ac inflammari vidit. Verbulo ſub ſcrofularum ſpuriarum ſerie illam a refrigerio notat PLENK **). — Forſan ſequens caſus, notatu certe digniſſimus, rem illuſtrat.

Monachus ex coenobio Tremonienſi Dominicanorum, triginta circiter annos natus, habitum flaccidulum, pallidum & quodammodo obeſum prae ſe ferens, integerrima ceterum ſanitate gaudens, graviſſimum, dum hyeme peregrinatur, totius corporis admittit refrigerium. Tribus circiter ſeptimanis elapſis tumor pone aurem dextram oriri cepit, ad ovi gallinacei magnitudinem ſenſim increſcens, cuius praeter dictum refrigerium nulla cauſa detegi poterat. Accerſitus medicus ſacculos ex herbis diſcutientibus imponi iuſſit. Remedia interna aeger detrectavit. Interim increvit tumor ad dictam magnitudinem, quam prae ſe ferebat, dimidium poſtquam annum adfuerat.

Paulo poſt alii parvi tumores circa priorem ſe oſtendunt, a magnitudine nucis avellanae ad illam iuglandis ſenſim evecti. Ad ſiniſtrum quoque colli latus ſimiles incipiunt oriri, & quidem unus

---

*) *Abh. von der Lungenſucht, überſ. von* DIEL, p. 28.

**) *Lehrgebäude von Geſchwülſten.*

unus notabilis magnitudinis, qui, dum ſatis increverat, in binos quaſi dirimebatur, ſulco parvulo absque tamen vulneratione intercedente. Nunc numero augebantur in utroque colli latere tumeſcentiae, concatenataeque evadebant, ita ut infima claviculae ſuperſederet. Cepit quoque patiens de inflatione abdominis cum doloribus interdum ibidem oberrantibus conqueri; venterque tactui referebat nodoſos tumores crebros, ut hinc meſenterium quoque affectum eſſe conſtaret. Reſpiratio anhela & difficilis, tuſſicula quoque ſub finem morbi accedente pulmones ſimul laborare ſignificabat. Neque minus glandulae in alis & inguinibus collocatae in ovi fere anſerini volumen increſcebant.

In ſtatu itaque periculoſiſſimo conſtitutus aeger & doloribus per totum corpus excruciatus, medicamenta tandem interna admiſit. Quaenam vero fuerint, neſcio; ſatis eſt, nil profeciſſe. Iungebatur hectica febris, tumor unus maior in collo in exulcerationem tranſibat. Acceſſit quoque diarrhoea, qua materies ex albo gryſea filamentis & membranulis intermiſta copioſe alvo excernebatur. Hinc glandulas meſenterii exulceratas fuiſſe ſuſpiceris. Lenta febris in intenſiorem efferebatur gradum, & exſpirabat aeger, poſtquam morbus inde a prima tumorum apparitione ultra annum duraverat.

Huncce graviſſimum morbum a ſolo tamen graviori refrigerio originem cepiſſe, vix mihi perſuadere poſſum. Crediderim, quod diatheſis ſcrofuloſa corpori patientis inhaeſerit, atque a refrigerio in actum ducta fuerit.

§. 45.

Glandularum tumores a cauſa ſanguinea, metaſtaſi lactis, abundantia lymphae.

Ad glandularum tumores a *cauſa ſanguinea* refero 1) illos, qui poſt *fluxum menſtruum ſuppreſſum* quandoque obſervantur.

Adiit me virgo viginti & aliquot annorum, collum tumoribus variae magnitudinis & uno quidem in ovi gallinacei magnitudinem evecto obſeſſum habens. In iuventute ſcrofuloſam fuiſſe, ex relatione de vita anteacta ſatis apparebat. Anno fere elapſo oriri ceperant dicti tumores & hoc tempore quoque lunare tributum ceſſarat. Varia inſuper conquerebatur incommoda, quae a menſium obſtructione cieri ſolent alias. Reſolventibus & deobſtruentibus exhibitis, vena in pede ſecta, purgantibus ſubinde interpoſitis, pediluviis in uſum vocatis, ſimulque tumoribus impoſito emplaſtro mercuriali cum empl. de cicuta, menſtruus fluxus brevi tempore rediit ſenſimque evanuerunt tumores minores. Maior vero ille, qui tumor cyſticus valde durus erat, perſtitit, vix absque exſtirpatione tollendus. — In hocce caſu veroſimiliter inde a iuventute, ubi ſcrofulae vexarant, diſpoſitio remanſerat, data occaſione tales iterum tumores concipiendi. Occaſionalem vero cauſam hic ſuppeditavit amenorrhoea.

Menſtruis cum ſcrofuloſa cachexia quendam nexum eſſe, patet quoque ex eo, quod affectus ſcrofuloſi omnis generis, puellas vexantes, orto circa pubertatis tempus menſium fluxu, ſtatim evaneſcant, e contra inſigniter exacerbentur, ſi iſtius fluxus apparitio a quacunque cauſa impediatur. Interdum vero ſcrofuloſa cachexia cauſam potius, quam ef-

effectum amenorrhoeae conſtituit. Tum quidem ſanatis ſcrofulis ſponte ſe oſtendit ſanguifluxus. DOLAEUS *) menſium obſtructiones ſcrofulis facile ſe adiungere notat, ob craſſitiem ſuccorum maſſae ſanguineae communicatorum, ab acido & viſcido ad ſtagnationem inducendam aptiſſimo. In puberibus ſane puellis inde a iuventute cachexia ſcrofuloſa laborantibus ſolida laxa ſunt & inertia, humores vappidi, ſanguis mucoſus, minusque quaſi ſpirituoſus, — omnia frigida & ad infarctus prona ſunt. Neque hinc mirum, in talibus menſtruorum eruptionem retardari, quae egregie promovetur, ſi roborantium, corticis praeprimis & martialium poſt deobſtruentia uſu, craſis humorum emendatur, ſolidisque debitus reſtituitur tonus.

Gonorrhoeam ſcrofuloſam, quae vel ab induratis in organis generationis & urinae glandulis, vel ab univerſali ſcrofuloſa acrimonia derivanda ſit, in feminis locum habere docet HECKERUS **) tempore menſtruorum intercalari; nonnunquam primam fluxus apparitionem antecedere, vel poſt eius ceſſationem remanere.

Sed & absque ſcrofuloſae diatheſeos adiumento amenorrhoea glandularum tumores inducere valet. Cl. FABRE †) in virgine 19 annorum ab obſtructis menſibus multas circa collum, pectus & ſub axillis glandulas tumefactas vidit, absque ſcrofuloſo vitio concurrente. Evaneſcebant tumeſcentiae reſtituto ope pilularum Fulleri menſtruo-

*) Encyclop. chir. p. 608.

**) l. c. p. 51.

†) l. c. p. 182.

ſtruorum fluxu. Etiam RUSSELL *) exempla habet tumorum glandularium poſt menſtruorum ſuppreſſionem ſubortorum.

2) Glandularum tumores a *fluxu menſium* in annoſioribus mulierculis *ceſſante* **). Pluries iam notavimus, feminas iuventute ſcrofuloſas, ceſſantibus ob aetatem menſtruis, in ſimile malum facile recidere, quod tunc ſcirrhoſis variarum partium indurationibus ſe oſtendat. BORDEVIUS †) hinc aſſerit, ſcrofulas in feminis, quibus menſtrua ſuppreſſa revocari nequeunt, vel & propter aetatem ceſſant, raro poſtea curari.

3) Inter ſymptomata *gravidarum* ſunt quoque haud raro glandularum tumeſcentiae, ad quas ſequior ſexus natura ſua ſatis inclinat; facile igitur fit, ut initio graviditatis ceſſantibus menſtruis ob plethoram decubitus ad glandulas fiant.

4) In ſexu potiori *haemorrhoides* ſuppreſſae glandularum infarctus & tumores inducere poſſunt.

Quas quidem glandularum tumeſcentias omnes non idcirco ſanguineas dixi, quaſi ſanguinem in glandulis coacervatum illas ciere exiſtimem, ſed quoniam ſanguinei fluxus ſuppreſſio ipſorum generationi anſam ſuppeditat.

Lactis depoſitionem, uti ad omnes fere corporis partes, ita etiam ad glandulas tum conglomeratas, tum lymphaticas fieri poſſe compertum eſt. Sic v. c. ASTRUC ††) obſervavit, lac ex mam-

---

*) de tabe glandulari Hiſt. 21. 22.

**) RUSSELL Oecon. nat. p. 139.

†) Prix de l'ac. de chir. l. c. p. 104.

††) Maladies des femmes.

mammis regreſſum vicinas glandulas lymphaticas irruiſſe, expandiſſe & ſic totum collum in tumorem elevaſſe. Axillares glandulas obſtructas & ob lactis abſorbtionem tumentes in feminis, quae ubera infantibus ſuis denegabant, vidit W. HUNTERUS *) & ſ. p. — Hic quoque nominandi ſunt ipſarum mammarum nodi lactei, multiplici occaſione lactantibus feminis moleſti.

Quae a ſola *lymphaticorum humorum abundantia* in pueris provenire dicuntur glandularum tumeſcentiae, in plerisque caſibus initia leviſſimumque gradum cachexiae ſcrofuloſae conſtituere ſupra (§. 24.) notavimus.

Inſtante pubertate foecundique ſpermatis ſecretione incipiente glandulae inguinales ſaepe indurantur in iuvenibus & tument. Quae quidem tumeſcentiae, licet haud raro ſatis magnae, durae & dolentes evadant, brevi tamen ſponte evaneſcunt **). Derivandae ſunt a ductu deferente ſic dicto minori, qui plerumque reperitur a maiori ſtatim ſecedens, cum funiculo ſpermatico aſcendens & in glandulis inguinalibus evaneſcens; hinc immediatum organa ſpermatica inter & glandulas inguinales commercium efficiens. — Cavendum quam maxime, ut ne talis glandularum inguinalium tumor pro bubone venereo habeatur, quod aliquando accidiſſe ſcio.

§. 46.

*) Medical Commentar. P. I. Lond. 1762. p. 61. — Cf. ſi placet RAULIN *malad. des femmes en couche*, ceterique de lactis metaſtaſibus auctores.

**) BIERCHéN l. c. p. 39.

§. 46.

Glandularum tumores venerei, arthritici &c.

Glandularium tumorum ex labe ſyphilitica duplicem claſſem ſtatim in limine diſtinguimus. Vel ex ſola ſyphilide, cuius quippe commune ſymptoma conſtituunt, originem trahunt, vel ſimul ſubeſt ſcrofuloſum vitium. Poſteriorum triplex iterum genus eſſe videtur:

1) Syphilis cum ſcrofuloſo morbo complicata eſt, & coniunctis cum illo viribus ſeſe efficacem exſerit. Huc retuleris ſcrofulas BIERCHENII (§. 26. 34.) caſum a F. A. MEYERO *) narratum, & pleroſque forſan ſcrofuloſos affectus in iis regionibus, ubi ſyphilis dominatur.

2) Scrofulae non cum ſyphilide complicantur, ſed illam ſubſequuntur. HUNTERUS docet, partes vitio venereo affectas, hoc ope mercurii deleto, in alium quandoque ſtatum praeternaturalem, inprimis ſcrofuloſum incidere. Sic gonorrhoeam ſecundariam (*gleet*) ſaepe aſſumere characterem ſcrofuloſum & ſanari antichoeradicis, inprimis aqua & balneo marino **); nec non poſt bubones ſaepe remanere ſcrofuloſos affectus, quos hydrargyrum non tollat †). Qui quidem caſus, quo cognoſcantur, attentum & exercitatum medicum requirunt.

3) Etiam mera irritatione virus venereum in glan-

*) Comm. de Ozaena.

**) HUNTER *vener. Krankh.* p. 168.

†) ibidem p. 474. 475.

glandulis ſcrofuloſos affectus inducere poteſt, ſi ſcrofuloſa diatheſis iam antea inhaeſerit. Sic v. c. bubones a ſyphiliticae acrimoniae irritamento excitati & a ſcrofuloſa diſpoſitione in corpore praeſente ſcrofuloſam indolem adepti, diſtinguuntur docente HUNTERO *) ortu lento, dolore pauco; eorum quippe inflammatio a ſcrofuloſa diatheſi retardatur. A mercurio ad ſyphilidem tollendam dato progreſſus talium bubonum acceleratur. Nonnullae quippe glandulae (mere ſcrofuloſae ſcil.) ulcerantur, aliae vero, quibus veroſimiliter ab initio aliquid venerei inerat, tam indolentes fiunt, ut mercurius plane non in illas agat, ſananturque dein ſponte vel per alia remedia.

Ceterum triplicem, uti aliorum morborum venereorum, ita etiam tumorum glandularium ab eadem cauſa, claſſem ponere poſſumus.

α) *Lues manifeſta* adeſt, ſignis ſuis, praeſertim topicis genitalium ſymptomatibus declarata. Si huic glandularum tumores adiunguntur, quaenam cauſa ſubſit, facile dignoſcitur. Quodſi vero

β) *Lues* ſic dicta *larvata* locum habeat, uti vix non ſemper in prima paulo ante dicta ſpecie tumorum glandularium ſcrofuloſo - ſyphiliticorum, non tam facile vera mali indoles detegitur. Minime tamen ſcrofulas in univerſum cum HAUSMANNO **) ad ſyphilidem lar-

---

*) l. c. p. 456.
**) Diſſ. de morbis venereis larvatis.

larvatam eſſe referendas, ſatis alibi monſtravi.

γ) Glandulares tumeſcentiae poſt *ſuppreſſam gonorrhoeam* *).

Cl. de PLENCIZ **) ſequentem *ſcrofulae*, uti vocat, *arthriticae*, obſervationem communicat. Vir iuvenis 25 annorum, ſcrofuloſo nunquam morbo infeſtatus, lumbagine corripiebatur arthritica, bilioſo-inflammatoriae indolis, quae emeticis & purgantibus in morbi initio exhibitis allevata, demum ope cicutae, aconiti, mercurii & antimonialium tollebatur penitus. Octo poſt peractam curationem dies absque apparente cauſa parotis ſiniſtra intumuit, inflammata in ſuppurationem tranſiit & fiſtuloſum ulcus poſt quatuor demum menſes ſanabile reliquit. Quod vero, ſimulac ad conſolidationem perveniſſet, proxima maxillaris glandula eodem cum eventu intumuit, & pari ratione ab una ad alteram glandulam proſerpſit malum usque ad parotidem dextram, licet omnis generis tentarentur remedia. Ceterum bene poſtea valuit aegrotus.

Subiungo ex propria penu aliud exemplum. Matrona fere quinquagenaria, matre arthritica prognata, iuventute ſcrofulis adultiori aetate evanidis laborans, ipſa quoque dudum articulari morbo decumbens, inde ab aliquot annis tumoribus quibusdam in utroque colli latere magnitudine quaſi ovi columbini infeſtata erat. Sollicita valde ſem-

*) R. HUBER diſſ. de tumore ſcrofuloſo maxillae inferioris a retropulſa gonorrhoea virulenta oriundo. Baſil. 1713.

**) Act. & Obſ. med. 1783. Cap. 8.

ſemper fuerat, hos in cancroſa ulcera eſſe tranſituros, multaque iam a variis medicis extrinſecus & interne adhibita remedia ad illos reſolvendos. Fruſtranei vero erant conatus omnes, nec ego, licet cauſam arthriticam ſubſumens varia remedia contra illam directa in uſum traherem, aliquid efficere potui. Multum tamen externis vitium tractare & irritare non ſum auſus, pravas ab incaute diſſipatis vel ſaltem inflammatis tumoribus ſequelas metuens. Interim verno tempore diro inſultu arthritico corripitur patiens in extremitatibus potiſſimum ſuperioribus ſaeviente; minimaque aura incaute forſan admiſſa extemplo dolores immaniter augebat. Per totum paroxyſmi decurſum, octo ad decem diebus abſolutum ſudores largi aderant. Aegra nunc convaleſcens laeta animadvertit mecum, tumores iſtos colli penitus evanuiſſe, ne ullo quidem veſtigio relicto. Nec rediere poſtea iidem, ſed perfecta iam fruitur ſanitate matrona.

In utroque hoc caſu tumores a materia arthritica fuiſſe derivandos, nemo inficias ibit. In priori Plenciziano glandularum tumores cum ſubſequente ulceratione criſin metaſtaticam arthritidis conſtituebant, in poſteriori e contra arthritis ſuborta criſin quaſi tumorum fecit. In meo ceterum exemplo diſpoſitionem ſcrofuloſam ſimul ſubfuiſſe, ex hiſtoria morbi ſatis apparet.

Poſt *rheumatiſmos*, quorum cum arthritide analogia ab omnibus agnoſcitur, itidem haud raro glandularum tumores remanere experientia conſtat.

Plicam polonicam antecedere ſolent & comitari glandularum tumores ſcrofulis ſimiles. VICAT*) annun-

---

*) Mem. ſur la plique Polonoiſe. Lauſanne 1775.

annunciari, ait, plicam aliquot ſeptimanas, vel menſes, quin integros annos antequam erumpat, variis tumoribus, glandularum obſtructionibus, ſcrofulis, ulceribus; — ut omittam aliorum, qui ipſi quoque hunc morbum obſervarunt, Auctorum teſtimonia, notiſſimam rem confirmantia.

Tumoribus glandularum etiam obnoxiae ſunt feminae *fluore albo* laborantes, inprimis ſi ſupprimitur fluor.

A *morbis cutaneis* chronicis, ſcabie, herpete, impetigine, ionthis &c. cuiuscunque generis & indolis, repreſſis, glandulas ſaepe intumeſcere, pervulgatum eſt. Notandum interim, iſtas eruptiones haud raro ipſas ſcrofuloſae dyſcraſiae proprie dictae progeniem eſſe; & tunc ſeſe iis aſſociantes vel eas regreſſas conſequentes glandularum tumores verae ſcrofulae dicendi ſunt.

Leproſi, inprimis *elephantiaſi* vera laborantes tumoribus glandularum per totum corpus obſidentur *), quos ad ſcrofulae genus refert & tuberculis glanduloſis porcorum analogos cenſet SAUVAGES ſp. 7. Quin BIERCHEN **) nondum extra omnem dubitationis aleam poſitum eſſe cenſet, anne elephantiaſis ſcrofuloſae indolis ſit & ſyphilidis cauſis acceſſoriis iunctae progenies habenda.

Morbi varii, tumoribus potiſſimum glanduloſis conſpicui, a SAUVAGESIO ad ſcrofulae genus relati, nempe S. *americana* ſp. 5. S. *periodica* ſp. 6. & S. *moluccana* ſp. 8. cum veris ſcrofulis quidem aliquo modo conveniunt, natura tamen &

*) GILBERT de lepra, GORDON Lil. med. &c.

**) l. c. p. 40.

& indole ſua ab illis plurimum differunt; quare ad ſpurias ſcrofulas eos referre nullus dubito. — *Strumas endemias* a veris ſcrofulis toto coelo diſcrepare, initio iam tractationis noſtrae ſatis innuimus.

§. 47.

Glandularum tumores in phthiſi laborantibus, a cauſa externa violenta, pluresque alii.

Obſervatum, in tabe pulmonum exulcerata depoſitionem puris ad externa corporis loca, inprimis quoque ad glandulas morbum ſaepe ſuſtuliſſe & quaſi criticam fuiſſe. Sic ait DE HAEN *): „Plura exempla habebamus natae ex pleuritide & peripneumonia phthiſeos, in qua iam inveterata & corpus depaſcente metaſtaſis materiae ad os ſterni fieret, aut ad criſtam oſſis ilei, aut ad *colli glandulas parotidesve* & dum aperto loco pus & copioſe & diu manabat, bonaque, potiſſimum lactea diaeta obſervabatur, ſanitas integra rediret.“

Alius adhuc generis metaſtaſis ad glandulas interdum cum egregio fructu fit in phthiſicis, praeſertim a ſcrofuloſa cauſa talibus, ut nempe non materies purulenta, ſed aliud morbidum recrementum antea in pulmonibus haerens tabidumque morbum inducens, glandulas externas praeſertim colli irruat. SYDENHAMUS **) iam obſervat, quibusdam phthiſicorum, qui ope equitationis convaluerant, *tumorem in collo exortum eſſe non multum a ſcrofulis abludentem.* Dn. BRIL-

*) Rat. med. P. 3. p. 181.
**) Opuſc. univ. p. 793.

BRILLOUET *) duos veroſimiliter ex cauſa ſcrofuloſa phthiſicos ſolutione mercurii ſublimati Swieteniana perfecte ſanabat. Curatione vero pene abſoluta quamplurimae glandularum colli lymphaticarum intumuerunt & perfecerunt medelam. Hi vero tumores paucarum ſpatio hebdomadum evanuerunt ſponte. — En ſcrofulas criticas!

Fortaſſis in tali caſu materies ſcrofuloſa pulmonum glandulas lymphaticas obſidens mobilis facta & ad exteriores colli depoſita eſt.

Etiam *violentia externa* glandularum indurationes producere valet. Mammarum preſſione ab anguſtis veſtimentis vel alio modo facta nodos ſcirrhoſos facile oriri conſtat. Mulierem novi, orphanotrophei inſpectricem, quae panem pro pupillis ſecando, ſemper illum pectori admovebat, ut, dum ſecaret, panis mammas premeret, eodem in loco tetro carcinomate lethum afferente deturpatam. — In iunioribus a tali preſſione non tam ſcirrhi, quam potius molliores glandularum tumores, ſcrofulis ſimiles oriuntur. Glandularum compreſſionem ſcrofulas induxiſſe, quae mutatis, quae glandulas premebant, veſtimentis, ſponte evanuerint, notat HAUSLEUTHNER **). — Tumore cyſtico maiori, duro, ſolitario, collum obſidente ſaepe videmus glandulas conglobatas circumpoſitas in minora tubercula intumeſcere, & exſecto tumore iſto ſponte ſenſim detumeſcere. Has itaque parvas tumeſcentias a ſola maioris iſtius in vaſa lymphatica & conglobatas glandu-

*) Journ. de med. 1777. Menſ. Novembr. p. 405.
**) Diſſ. cit. p. 31.

las preſſione ortas fuiſſe credideris. — WARTHONO *) aſſerendum videtur, in omnibus fere corporis partibus *contuſiones* facilem ſcrofulis ſuccreſcendi cauſam miniſtrare, narratque **) exemplum hominis, qui ex lapſu ab equo gravem circa lumborum regionem contuſionem paſſus poſt biennium gravioribus variis pectoris & abdominis incommodis infeſtatus obiit, toto corpore emaciato. Cadaver luſtratum ingentem meſenterii tumorem exhibuit, ac pulmones numeroſis variae magnitudinis tuberculis, albidi coloris, ſubſtantiaeque, uti & tumor ille meſenterii, glanduloſae, obſeſſos. Videtur hocce in caſu, notante WARTHONO, contuſio tumori meſenterii ingenti occaſionem praebuiſſe, cuius moles immanis chylificationem turbavit & diaphragma ſurſum trudens reſpirationem impedivit, unde tenax chylus non potuit ſatis per pulmones promoveri, ſed obſtruxit eos. —

De qualicunque vi graviori externa corpori illata tanquam infarctus viſcerum cauſa; cf. quoque KAEMPF †).

A *carioſis dentibus molaribus* circa maxillas tumeſcentias oriri poſſe ſcrofulis ſimiles & poſt extractionem dentis evaneſcentes, aſſerit & obſervatione confirmat Cl. FABRE ††), provocatque ad teſtimonium PETITI, qui perſaepe viderit circa maxillas, quin ad claviculam protenſas glandularum tumeſcentias numeroſas carioſo dente extracto ſtatim ceſſantes.

Glan-

*) Adenograph. p. m. 53.
**) l. c. p. 50. ſq.
†) l. c. p. 64.
††) l. c. p. 382.

Glandularum tumores poſt *dyſenteriam ſuppreſſam* *), poſt ſuppreſſos *pedum ſudores* **).

„Notum perſpectumque omnibus eſſe puto, cutis dolori, lacerationi, excoriationi, rubori, inflammationi, ulceribus, puſtulis, aliisque cutaneis morbis, ſapenumero ſupervenire tumores glandularum lymphaticarum, quae membro affecto & laboranti reſpondent ſuperiusque poſitae ſunt ***).“ GALENUS †) iam obſervat, ab ulcere in manus aut pedis digito glandulas in alis vel inguinibus intumeſcere, tum phlegmone occupari, uti & glandulas in collo & pone aures, ſi in aliqua vicina parte ulcus natum; & recte quidem. In *panaritio* nec non ab *inſitione variolarum* in brachio facta tument glandulae axillares, quae & a *cancro mammarum* in communionem trahuntur. *Penis ulcus*, licet non venereum, inflat glandulas inguinales ††). Ab *ulceribus* vel fonticulis vel carie in *pede* tumeſcunt femoris atque inguinum glandulae lymphaticae. *Abſceſſus cerebri*, *cancer oculorum* atque *labiorum* concitant tumeſcentias glandularum ad maxillae inferioris angulum & ad collum poſitarum †††). — In hiſce caſibus vel reſorbtus ichor ad glandulas lymphaticas delatus, vel ſola glandularum irritatio cauſa tumo-

---

*) TRILLER diſſ. de tumoribus ſubitis a dyſenteria intempeſtive ſuppreſſa obortis, recuſ. in Ei. Opuſcul. Vol. III. p. 139.

**) Prix de l'ac. de chir. l. c. p. 73.

***) BURSERII inſtit. pract. Vol. II. p. 20.

†) Meth. med. L. XIV. C. 5.

††) ASTRUC Maladies vener. T. I. Paris 1752. p. 151.

†††) Cl. SOEMMERING Pr. de cognit. ſubtil. ſyſtem. lymphat. in med. uſu. Caſſellis 1779.

rum eſt *). Qualiscunque materia peregrina vel acris reſorbtione ad glandulas delata, vel irritamentum ſolummodo exſerens has inflare valet. Exemplo ſit applicatio *veſicatoriorum* prope glandulas, item inunctio *unguenti mercurialis*.

Crebris ex obſervationibus, conſtitiſſe, ait BURSERIUS **): ſi *eryſipelas* artubus inferioribus incubiturum ſit, inguinis & femoris glandulas conglobatas, vaſis cruralibus adſitas, antequam ſe exſerat, leviter dolere atque intumeſcere conſueviſſe, axillares vero ac cervicales, ſi brachiis aut ſuperioribus locis immineat. — Venena porro, praeſertim *ſaturnina* ***) ingeſta quandoque tumeſcere faciunt glandulas lymphaticas, nec non *mercurius*, praeſertim ad ſalivationem concitandam datus, qui & veras ſcrofulas diatheſin in actum ducendo producere valet †).

Etiam *partus labores* nec non *iter pedeſtre defatigans* quandoque tumorem glandularum inguinalium excitant ††). — Me vidiſſe memini in iuvene 15 annorum antea non ſcrofuloſo, *poſt grave capitis vulnus* remanentes in collo & prope aures glandularum tumeſcentias facile tamen ſanabiles.

Qui quidem affectus omnes a veris ſcrofulis probe diſtinguendi ſunt.

§. 48.

*) BURSERIUS l. c.

**) l. c.

***) Cl. THUNBERG in Vetenſk. Akad. Handl. for ar 1773. p. 40. ſq.

†) HUNTER *vener. Krankh.* p. 632. 633.

††) BERTRANDI *von Geſchwülſten* p. 53.

§. 48.

De cauſis ſcofularum praediſponentibus, inprimis diſpoſitione ad illas haereditaria.

Sed miſſis iam ſcrofulis ſpuriis, ut ad veras nos iterum convertamus, ordo rei exigit, quarum remotiores cauſae & ex his primo loco praediſponentes nunc conſiderandae veniunt.

Quod ad *aetatem* attinet, infantes & iuniores praeſertim ſcrofulis eſſe ſubiectos ob fibram totius corporis debilem, ſyſtematis lymphatici amplitudinem & infirmitatem, humorum ſeroſorum abundantiam, bilis inertiam, pronitatem ad acidum, viſcidum, pituitoſum ingenerandum, ſupra ſatis declaravimus. Nec non, quatenus ſequior *ſexus* prae potiori ſcrofulis obnoxius dicendus ſit, alio loco iam explicuimus. — *Temperamentum* humidum, phlegmaticum; *corporis conſtitutio* infirma, debilis, tenera. Diſpoſitionem ad ſcrofulas conſiſtere in debilitate vitali partium ſolidarum haereditate translata vel cauſis occaſionalibus ingenerata; fibra muſculari ſimul nimis irritabili atque ſyſtemate nervoſo ſenſibiliori, aſſerit Cl. DIEL *). In Anglia homines ſtructura corporis delicata atque irritabili, ad impreſſiones recipiendas aptiori, ſcrofulis frequentius obnoxios eſſe, cenſet WHITE **). Etiam I. C. H. ACKERMANN †) ſyſtematis nervoſi ſenſibilitatem inter cauſas praediſponentes refert. Recte hi quidem, ſed nonnunquam debilitatem hominum diatheſi ſcro-

*) ap. WHITE l. c. p. 106.

**) l. c. p. 19.

†) Diſſ. cit. p. 8.

ſcrofuloſa laborantium cum laxitate potius & ſenſibilitate irritabilitateque imminuta coniunctam videri, ſupra (§. 29.) iam innuimus.

Quo debiliores nati infantes eo magis patent vitio ſcrofuloſo; inprimis canalis alimentaris atonia huic malo anſam dare conſuevit. Non ſemper connata eſt debilitas, ſed ex diaeta vel morbo praegreſſo, inprimis tuſſi convulſiva, febribus intermittentibus diu infantes excruciantibus vel male curatis, dyſenteria, diarrhoea diuturna &c. ſaepe traxit originem. Si talis praeternaturalis cauſa infirmans naturali & infantili aetati propriae debilitati, laxitati inſuper accedit, non poteſt non cumulus malorum inde emergere atque humorum in viſcidum, pituitoſum, degenerationi, ſtagnationi, infarctibus, obſtructionibus eo commodior via ſterni. — Vermes inteſtinales corpus ſcrofulis obnoxium reddere, vero non diſſimile eſt, quum illi & digeſtionis vires laedant, & pituitam acrimoniamque lymphaticis vaſis infenſam progignant. Verminoſa vero colluvies utplurimum quoque inter effectus atque ſymptomata ſcrofuloſi morbi eſt, cum laxitas, primarum viarum atonia atque ſaburra viſcida vermium generationi impenſe faveant.

Sed iam dictae aliaeque huius generis cauſae praediſponentes generaliores ſolae non ſufficiunt ad ſcrofularum verarum in omnibus ſuis characteribus declaratarum originem conſtituendam. Peculiarem potius haereditate innatam diatheſin in his ſubeſſe, pluries in praecedentibus iam notavimus.

Quod quidem aſſertum, quo magis illuſtretur, nunc diſquirendum venit, an ſcrofulae etiam revera inter *haereditarios* morbos referendae ſint,

i. e.

i. e. an a parentibus ſcrofuloſo morbo nunc aut olim laborantibus vel ſcrofularum ſtamen in corpore alentibus, hocce vitium, ſuo tempore evolvendum, proli communicetur & connaſcatur. Duplex vero diſtinguatur morborum haereditariorum genus. *Alii* miasma involvunt, cuius quaedam particulae e matris corpore in infantem tranſeunt & hunc inficiunt. Huc praeprimis pertinet syphilis, forſan etiam plica, lepra, elephantiaſis. Tales vero a matre ſolum in foetum propagari videntur, ſaltem ipſa mater a patre prius infecta eſſe; exiguis enim ſpermatis virilis particulis miasma inhaerere & in prole adoleſcere poſſe, vix probabile eſt. — In tali caſu veſtigia infectionis plerumque ſtatim poſt nativitatem in infante cernuntur, ſin minus, larvata forma deliteſcit virus & incerta vitae periodo qualicunque occaſione accedente e ſomno excitatur & effectibus ſeſe manifeſtat. Ceterum hi morbi non tam ad veros haereditarios, quam ad miasmaticos contagioſos potius pertinent; quorum fomes ſuſceptus non diſpoſitionem ſed morbum ipſum producit, nec a ſolis parentibus, ſed a quovis aegroto communicari poteſt.

Maxima vero pars morborum haereditariorum procul dubio pertinent ad alteram claſſem, ubi nempe peculiaris ſolidorum conſtitutio, ingenerando, certa ſtataque utplurimum vitae periodo, alicui vitio idonea, a parentum (patris ſcil. vel matris vel utriusque) ſui ſimilia ſemper progignentium corpore in tenellos tranſit atque propagatur. Hoc morborum haereditariorum genus fuere e recentioribus varii qui negarent, ſimilesque progeniei & parentum morbos a ſimili diaeta & vitae genere potiſſimum repeterent, vel cauſis certis

regionibus propriis tribuerent, id quod tamen neutiquam experientiae conſentaneum eſt, neque haec ſententia hodie pleriſque medicorum placet. Haud difficulter quoque haereditariae morborum indolis ratio perſpicitur *). Videtur in primis ſuis originibus homo conformationis partem magnam cum parentibus eandem habere & generatim inter conſanguineos inſignis ſtructurae totius corporis analogia obtinere. Hanc, cum in externa conformatione tam luculenter appareat, in partium quoque internarum, vaſorum viſcerumque ſtructuram ac configurationem cadere, dubitari nequit. Quotidiana exempla docent, feminas aeque ac viros, dummodo eadem aetate cum parentibus exiſtant, his ſaepiſſime ut ovum ovo eſſe ſimiles, tum quoad univerſi corporis habitum externum, tum ſpeciatim quoad faciei conformationem, unguium figuram, (obſervante C. L. HOFFMANN) capillorum colorem &c. Vena frontalis in patre iracundo admodum turgida & in filio turget & ſ. p. — Iam a patre, iam a matre, iam ab utrisque plurimum ſimilitudinis recepere liberi. Alias non quidem parentibus, ſed avis ſimillimi ſunt filii. Fratres ſororesque inter ſe plerumque manifeſtam ſimilitudinem referunt, quin haud inaudita ſunt exempla fratrum inter ſe tam ſimilium, ut vix dignoſci unus ab altero potuerit. Etiam aliis conſanguineis, avunculo, amitae, materterae &c. praeprimis ſimiles interdum obſer-

*) Cf. BÜTTNER diſſ. de qualitatibus C. H. haereditariis. Gotting. 1760. ISENFLAMM *Bem. über die Eingeweide.* Sect. 2. CHAVET de phthiſi pulmonali haereditar. Artic. XI.

obſervantur liberi. Primum huius ſimilitudinis ſtamen, quod poſtea evolvitur, iam in conceptione poſitum fuiſſe, dubium non eſt.

Cum iam externarum partium configurationis ſimilitudo in conſanguineis tam evidens ſit, cur non etiam vaſorum internorum, viſcerum, nervorum &c. praeternaturalem conſtitutionem huic vel illi morbo progignendo idoneam familiis quibusdam privam & peculiarem eſſe ſuſpiceris, cum dari revera morbos haereditarios & familiis quibusdam proprios, licet membra earum diverſiſſimo vitae genere utantur, experientia abunde doceat. Quippe innumeris exemplis conſtitit, arthritidem, podagram & cognatos morbos, calculum renum & veſicae, hydropem, haemorrhoides, haemoptyſin, phthiſin, nervorum morbos, malum hyſtericum & hypochondriacum, epilepſiam, catalepſin, ſomnambulismum, apoplexiam, mentis morbos, leucaethiopiam, rhachitidem, ſcrofulas & affectus ſcrofuloſos, (quod mox fuſius oſtendam) aliosque plures morbos haereditate fuiſſe propagatos. Quin ſaepius in morbis ſubeſſe diſpoſitionem haereditariam, ac vulgo credunt, perſuadeor. Amplam novi familiam, cuius plurima membra ſurda aut ſurdaſtra fiunt, diſpoſitione a parentibus in liberos tranſeunte. Vidi nuper hominem cataracta laborantem, cuius pater ex eadem cauſa coecus fuerat & ſ. p.

Diſcernendos velim haereditarios morbos a *connatis* & diſpoſitione *connata*. Poſteriorum origo quidem plerumque a quadam materni corporis conditione, diaetae erroribus durante graviditate admiſſis &c. repetenda eſt, ſed parentes ſimili vitio non laborarunt. Sic v. c. naevi materni, quos a gravidae mulieris imaginatione revera quan-

quandoque in foetum coniici, vix hodie amplius negari poterit *), hydrocephalus &c. ſunt morbi connati. Haud rara porro ſunt exempla liberorum plurium, a parentibus ſaniſſimis prognatorum, qui omnes ſtato vitae tempore phthiſi pulmonali obeunt, licet nec in familia hic morbus regnet; quale exemplum ipſe novi. Cl. ISENFLAMM **) vidit liberos ſanorum omnimodo parentum octo, dum octavum aut nonum annum attigiſſent, diabete vero corripi ab eoque necari. In hiſce caſibus connata quidem diſpoſitio ad morbum fuit, ſed non haereditaria eſt, cum parentes eodem malo non laboraverint.

Specialis quoque ad certum quendam morbum diſpoſitio haereditaria diſtinguenda eſt a generaliori ad valetudinariam vitam. Sic a parentibus imbecillis ac valetudinariis debilis proles naſcitur omnis generis aegritudinibus, pro aetatis, ſexus, temperamenti, cauſarum occaſionalium &c. diſcrimine diverſis obnoxia. — Neque minus temperamentum & idioſyncraſia a parentibus in liberos tranſeunt, unde hi etiam morbis, ad quos dictae corporis qualitates diſponunt, obnoxii fiunt.

Nominatorum vero paulo ante morborum naturam vere haereditariam a ſolidorum peculiari conſtitutione illis progignendis idonea, haereditate translata, nec a miasmate proficiſci, tum ex eorum indole, miasma proprie dictum non involvente apparet, tum ex eo, quod certo demum vitae

*) Cl. KRAUSE vis animae gravidae mulieris in foetum denuo aſſerta &c. Lipſ. 1787.

**) l. c.

vitae tempore ſe oſtendant & denique a patre aeque ac a matre propagentur. Minime tamen nego, dari quoque haereditarios morbos, miasmate quodam praeditos, materia nempe morbida, quae ex uno corpore in aliud translata ſui ſimilem morbum producit. Exempla praebent arthritis, phthiſis ipſaeque ſcrofulae. (§. 37.) Sed hoc miasma demum in ipſo corpore generatur eo vitae ſtadio, quo haereditarius morbus evolvitur, cum ſi miasma foetui communicatum cauſa haered. morbi eſſet, hic ſtatim a nativitate ob naturam miasmatum multiplicativam ſe oſtendere deberet, ſaltem non certo, ſed indeterminato vitae tempore erumpere. Optime quidem perſpicimus, miasma per aliquod tempus in corpore deliteſcere poſſe, antequam aſſimilatione humores ſibi propitios reddat morbumque ipſum producat. Aſſimilationem autem per decem, viginti, triginta annos durantem, & tam exquiſito ordine contingentem, ut certo ſemper vitae ſtadio morbus a miasmate emergat, nemo profecto affirmare poterit. Miasma quoque, ſicut in aſſimilatione incrementa capit, ita etiam ſanitatem deſtruit, morbi autem haereditarii valetudinem proſperam per aliquot annos non affligunt.

Ceterum bifariam diſtinguere iuvat haereditariam ad morbos diſpoſitionem. 1) Merum ſolidorum vitium morbos iam conſtituit absque ſpecifico inde antea ingenerando vitio humorum. Huc v. g. pertinet ſingularis ſyſtematis nervoſi conſtitutio ex haereditate innata, unde ſuo tempore apoplexia, vel epilepſia, vel hypochondriaſis vel alii morbi nervoſi propullulant. In phthiſi haereditaria ſubeſt pulmonum connata infirmitas, quae efficit, ut hoc viſcus a qualicunque cauſa

mor-

morbifica v. c. plethora, acrimonia venerea, rheumatica, ſcrofuloſa, prae aliis viſceribus irruatur maleque afficiatur. Conſtituunt pulmones *partem debiliorem* ex haereditate, quorſum omne corporis vitium contrahitur & ſ. p. 2) Adeſt ſolidorum vitium innatum ſui generis, quod vero antequam evolutum morbum haereditarium conſtituit, fluida prius immutavit & vel ſpecificum humorem morbidum produxit. Illud ſolidorum vitium vel univerſalius eſt, totumque per corpus diſperſum v. c. in ſcrofulis, rhachitide &c. vel in peculiari quodam viſcere vel corporis parte haeret, e. g. in organis urinam ſecernentibus, quorum peculiaris conſtitutio anſam dare videtur calculo. Materiei arthriticae natales repetendi videntur ex abdominis viſceribus, quorum hinc praeternaturalis conſtitutio in morbo articulari haereditario ſubeſſe videtur & ſ. p. — Tali in caſu ex cauſa haereditaria connata eſt vaſorum ſingularis quaedam diſpoſitio, qua evoluta humores, quos vehunt, ita depravantur atque corrumpuntur, ut ſingularis quidam morbidus humor — peculiaris cacochymia ſive dyſcraſia vel univerſalis vel partialis inde exſurgat.

In illos liberos potiſſimum patris matriſve morbi tranſeunt, quorum externa corporis configuratio ad illam parentis proxime accedit. — Poteſt in ſerioribus generationibus ſenſim exſtingui haereditaria ad morbum quendam diatheſis. Parentum unus ſanus in ſobole ſaepe iam multum emendat morbidam diatheſin ab altero forſan ingeneratam. Ab hac ſobole, ſi iterum cum perfecte ſanis matrimonium inierit, liberi procreantur adhuc longe minus ad gentilitium morbum inclinantes & ſ. p. — Morbi gentilitii ſaepe ſaepius

pius per unam alteramve generationem ſilent, ita ut avi aut proavi morbus non in filio, ſed in nepote demum vel abnepote manifeſtetur iterum; hoc tamen haereditariam naturam nullo modo infringit. Potuere qualescunque cauſae in filio impediviſſe evolutionem diſpoſitionis morboſae corpori inhaerentis. Quid, quod ſaepe videamus, phyſiognomiam nepotis illam avi aut aviae, vel etiam avunculi &c. exacte referre, nec patris faciei ſimilem eſſe. — An & quomodo diatheſeos haereditariae ad morbos, inprimis ſcrofulas evolutio praecaveri poſſit, in practica tractationis parte ediſſeram.

Quibus de morbis haereditariis in univerſum praemiſſis, ſpecialia quaedam de ſcrofularum natura haereditaria ſubiungenda ſunt. De qua quidem re nullum dubium reſtat. LAURENTIUS *), BONETUS **), MEAD ***), MACBRIDE ****), CHARMETTON †), DIETRICH ††), TOETTELMANN †††) aliique — omnes uno ore ſcrofularum haereditariam naturam defendunt. LEVISON ††††) vix eſſe morbum aſſerit, qui tam facile propagetur, ac ſcrofulae, integrasque ipſi familias innotuiſſe narrat, quarum ne unicum membrum ab iis liberum man-

---

*) De mira ſtrumar. curat. L. II. Cap. 2. p. 212.
**) Sepulchret. anatom. Genev. 1679. p. 1527.
***) Monit. & praecept. cap. XV.
****) Introduct. T. II. p. 391. verſ. CLOSS.
†) Prix de l'ac. de chir. l. c. p. 176.
††) Diſſ. de morb. glandul. p. 20.
†††) Diſſ. cit. §. XVIII.
††††) *Londonſche Med. Praxis* P. I, p. 312.

manſerit. REID *) ſcrofulas iis morbis haereditariis annumerat, quorum evolutio in prole parentum tali morbo affectorum nulla fere prophylaxi impediri poſſit. CULLENUS **) ſcrofulam (de proprie dicta loquitur) plerumque & fere ſemper eſſe morbum haereditate translatum cenſet. Morbi ſcrofulis affines, rhachitis, cruſta lactea, (STRACK) &c. itidem haereditarii cernentur — Quae quidem omnia quotidiana experientia ita evincuntur & comprobantur, ut, qui contrarium affirmet, in luce meridiana coecutire videatur. Examines velim omnes, qui vitio ſcrofuloſo ad aliquam perfectionem evecto laborant, anne parentum unus aut alter ſimili quondam morbo laboraverit, vel qualicunque gradu rhachiticus fuerit, vel ſaltem ſigna quaedam ſcrofuloſae cachexiae quondam prae ſe tulerit, aut etiamnum oſtendat †); — anne alii conſanguinei ſcrofuloſi fuerint — an fratres ſororesque, ſi qui ſint ſimili morbo laboraverint aut adhuc conflictentur &c.; in plerisque caſibus affirmando ad haſce quaeſtiones reſpondebitur.

Momenta vero quaedam circa haereditariam ſcrofularum propagationem ſpecialius conſideranda veniunt. Novi plures parentes progenie numeroſa gaudentes ſcrofuloſo vitio tacta, ita tamen, ut

---

*) *von der Lungenſucht, überſ. von* DIEL p. 4.

**) l. c. § 1677.

†) CULLEN (l. c. §. 1679.) aſſerit, in iis parentibus, qui, licet vitium ſcrofuloſum nunquam in ipſis eruperit, prolem tamen ſcrofuloſam edunt, multa plerumque habitus morbo noſtro peculiaris ſigna animadverti.

ut aliqui liberorum prorſus a morbo immunes maneant nullumque eius veſtigium oſtendant, aliis interim miſere ab eo ſub varia forma detentis. Hinc apparet, minime ſemper omnem omnino progeniem parentum diatheſin ſcrofuloſam foventium a morbo tangi, quod & de aliis morbis haereditariis valet. CULLENUS *) refert, eos infantes, qui parentum illi, qui ſcrofuloſus fuit, pater ſit materve, ſimiliores ſunt, ſcrofulis quoque infeſtari, id quod omnino experientiae conſonum deprehenderim. Alter quippe parentum ſano & ne hilum ad ſcrofulas diſpoſito corpore gaudens emendare poteſt ſeminium huius morbi, quod ab altero forſan in prolem transplantatum fuiſſet. Sexualem quoque influxum, (ut nempe pueri praeprimis ſcrofuloſi fiant, ſi pater, puellae, ſi mater quondam ſimili vitio laboravit) hic non plane nullum eſſe, variis exemplis comprobarum vidi. Sic novi virum in infantia cruſta lactea detentum variorum liberorum genitorem, ex quibus pueri itidem cruſta lactea infeſtabantur omnes, puellae vero ne veſtigium quidem huius mali referebant; licet puellarum aliquae patri magis, quam matri ſimiles eſſent, puerorum quidam vero contra. Etiam de ipſis ſcrofulis talia exempla mihi innotuerunt. In plerisque tamen caſibus absque ſexus diſcrimine ii infantes ſcrofuloſi fiunt, qui parenti quondam ſcrofuloſo, pater ſit materve, ſimiliores.

Quod CULLENO viſum, rhachitidem magis a matre quam a patre, ſcrofulam vero a patre magis

*) l. c. §. 1677.

gis quam a matre propagari, certe nondum ſatis exploratum eſt. Innumera quippe exempla ſunt ſcrofuloſorum, quorum mater non vero pater ſimili quondam laboravit malo. Ipſe quoque CULLEN dubitat, anne iſtud inde derivandum ſit, quod plures maſculi ſcrofuloſi, quam feminae hoc vitio tactae, nupti ſint.

Non tamen ſemper ſcrofulas morbum haereditarium eſſe, ſed etiam abſque tali diſpoſitione oriri poſſe, varia probabile reddunt. Pauperculis & plebeiis immunditie foedis & pravo victu utentibus omnibus fere ac ſingulis in pueritia moleſti ſunt qualescunque ſcrofuloſi affectus maiori minorive gradu. Cum vero in iis diſpoſitionem ad ſcrofulas haereditariam univerſalem eſſe, ſumi vix poſſit, concludendum videtur, occaſionalibus cauſis variis, quae in plebeios magis, quam melioris conditionis homines cadunt, magnam ineſſe vim ad affectus ſcrofuloſos producendos. Ipſe CULLEN concedit, forſan quoque abſque diſpoſitione haereditaria ſcrofulas oriri poſſe. — Vix ac ne vix quidem vero ſcrofula proprie dicta, (§. 18.) quae vitium ſcrofuloſum ad ſummum perfectionis ſpecificaeque indolis gradum provectum ſiſtit, abſque haereditaria diſpoſitione, unquam naſci videtur, quamvis occaſionalibus cauſis ad diatheſin evolvendam malumque hinc peius reddendum multa omnino ſit facultas. Contra ea leviores affectus ſcrofuloſi, quibusque ſpecificus character non tam alte impreſſus eſt, v. c. ſcrof. *fugax* SAUVAGESIO dicta, ſcabies capitis, item ſcrofula meſenterica, atrophia infantum abſque manifeſta ſcrofuloſa diatheſi, a ſolis cauſis procatarcticis diu multumque admiſſis, adiuvante ſolummodo laxitate infantili aetati popria vel debilitate praeternaturali

turali a quibuscunque cauſis inducta, natales ſaepe ducunt. Hinc plebeiis quidem affectus ſcrofuloſi frequentiſſimi, plerique tamen ad ſecundam varietatem a nobis (§. cit.) conſtitutam propius accedunt, abdomine praetumido, duro, facie pallida, tumeſcentiarum externarum minori ad ulcerationem propenſione &c conſpicui ſunt, vel ſcabiem capitis cum levioribus glandularum colli tumeſcentiis ſiſtunt. Scrofula vero proprie dicta in pauperculis quoque vix absque diſpoſitione haereditaria occurrit, frequentior tamen in iis, quam in ditioribus, cum occaſionalibus cauſis ad latentem diſpoſitionem evolvendam multum inſit efficacitatis. — Scrofula tamen meſenterica ſaepiſſime quoque ex haereditario vitio propullulat. (Cf. omnino §. 18.) — An etiam ſemel absque labe haereditaria a cauſarum occaſionalium confluxu exorta in quodam ſubiecto cachexia ſcrofuloſa, ſi ad aliquem gradum provecta fuerit, proli haereditario traduce communicari poſſit?

Sicuti alii morbi haereditarii, ita etiam ſcrofulae per unam alteramve generationem quandoque ſilent & in nepotibus vel abnepotibus iterum manifeſtantur. CULLENUS credit, ſi infantes a ſcrofuloſis parentibus progeniti a malo tamen immunes maneant, illud in horum prole iterum erumpere. — Caveri quandoque poteſt variis adiumentis alibi notandis diſpoſitionis ſcrofuloſae haereditate acceptae evolutio. Indè tamen non impeditur, quo minus talium progeniei ſeminium morbi denuo connaſcatur.

Dn. FAURE *) negat, haereditate ſcrofulas propagari; quae vero affert argumenta, haud ſatis

T 2 valida

*) Prix de l'ac. de chir. l. c. p. 36.

valida ſunt & potius probare videntur, illas haud contagioſas eſſe. WHITE *) ex inſtituto ſententiam, in ſcrofulis labem haereditariam ſubeſſe, oppugnat. Concedit quidem, habitum corporis a parentibus in prolem tranſire poſſe, qui hanc iisdem morbis, quibus parentes laborarunt, obnoxiam reddat, ſi ſimiles cauſae accedant, negat vero, ſcrofulas eſſe morbum haereditarium, qui ſingularium partium morboſam conſtitutionem a parentibus in liberos translatam nullaque arte exſtirpandam involvat. Argumentis fere ſequentibus utitur: 1) nullam corporis conformationem, neque ſexum neque temperamentum a ſcrofularum dominio exceptum eſſe; pulcerrimos formoſiſſimosque homines ſaepius ſcrofuloſos eſſe, hinc morbum non ex vitio formae provenire poſſe. (!!) 2) Parentum ſcrofuloſorum prolem ſaepe a vitio prorſus intactam eſſe, & ſi quidam liberorum ſcrofuloſi ſint, aliis ſanis, illud a cauſis occaſionalibus derivari poſſe. 3) Scrofuloſorum verſa vice parentes haud raro nunquam ſcrofuloſos fuiſſe. 4) Variolas, morbillos, tuſſim convulſivam, aliosque morbos ſaepe eſſe cauſam ſcrofularum; an tales haereditariae cenſendae? 5) Saepe unum modo infantem ſcrofuloſum eſſe, reliquam familiam liberam a morbo; ſi vere haereditarium eſſet malum, omnes fratres ſororesque invadere deberet. — Alia quaedam argumenta rem proxime non tangunt.

Quae quidem dubia omnia partim futilia nulliusque momenti ſunt, partim ex iis, quae alibi de ſcrofularum natura ample commentati ſumus,

*) *über Scrofeln* p. 8. ſqq.

ſumus, quaeque hac ipſa §. de morbis haereditariis propoſuimus, facillime ſolvi poterunt; quare illis ſigillatim perpendendis non immorabor.

Cl. DIEL *) itidem negat haereditariam ſcrofularum indolem, ex ea potiſſimum ratione, quod ſufficientes adſint cauſae praediſponentes & occaſionales ad ortum mali explicandum. — Sed velim mihi explicet, cur innumeri a talibus cauſis diu multumque affecti a ſcrofula intacti maneant, alii e contra ſollicite cauſas dictas evitantes, cum morbo noſtro miſere conflictentur? — Ceterum difficillima ſcrofularum medela ſatis monſtrat, illas proficiſci a labe altiſſime impreſſa & quaſi irradicata.

Quod idem mox laudatus DIEL **) aſſerit, ſententiam, quae haereditarias eſſe ſcrofulas ſumit, involvere miasmatis ſcrofuloſi ſpecifici praeſentiam, — contra omnem pugnat ſaniorem morborum vere haereditariorum theoriam.

§. 49.

Ponderantur aliae quaedam ſcrofularum cauſae proëgumenae.

Licet praediſponentium ad ſcrofulas cauſarum praecipua ſit haereditaria diatheſis, dantur tamen adhuc aliae, quae prioris evolutionem iuvare, forſan & interdum ſolae ſufficere poſſunt ad morbum inducendum, ſi occaſionales accedant cauſae. Omne vero illud, quod debiles reddit infantes, ad ſcrofularum cauſas proëgumenas referri poteſt. Praecipua quaedam momenta notabimus.

*) ap. WHITE l. c. p. 126. ſq.
**) l. c. p. 125.

Et primo quidem loco occurrit *parentum aetas nimis iuvenilis*. Pluries obſervaſſe mihi videor, neogamos 14-18 annorum, quales inter plebem apud nos multi ſunt, prolem progenuiſſe, ſcrofuloſis & atrophicis affectibus miſere detentam. Ratio in propatulo eſt. Venus quippe praematura tum parentibus tum inde procreatis infantibus exitioſa eſt. In temperati vero climatis regionibus homines ſerius paulo perveniunt ad eum pubertatis gradum, qui ſoboli ſanae & robuſtae progenerandae ſufficiat Et ſi inſuper accedant cauſae occaſionales plebeiis vix evitandae, per ſe ſatis imbecilles infantes in morbum noſtrum facile incidunt.

Ita quoque e contrario a nimis *annoſis* parentibus debilis morbiſque infantilibus valde obnoxia naſci ſolet proles. Neque minus ab iis, qui in caſtris Veneris nimium & maturius militando, vel Onaniticum vitium exercendo corpus enervarunt.

Infantes a *parentibus venerea labe infectis*, vel ſyphilide & remediis ad illam perſanandam neceſſariis, *ſalivatione* inprimis magna vel iterata, *enervatis* nati ſcrofulis prae aliis affligi obſervantur. (cf. § 32.) Hoc derivandum vel a ſola debilitate proli, ob parentum vim prolificam per crebros genitalium morbos veneriſque abuſum mirum quantum de tono ſuo deiectam, innata, vel a ſcintillis ſyphilidis in parentum corporibus aut manifeſto obviae aut latentis necdum prorſus extinctae in infantes translatis. Debilitas per ſe ſatis diſponit ad ſcrofuloſos affectus vel diatheſin hanc auget; ſique inſuper accedant ſyphilitici virus particulae, eo facilius ſcrofulae emergunt, quae tunc venerea labe adſperſae dicendae. Diſtinguere

vero

vero caſum utrumque, ubi nempe ſola debilitas vel ubi ſimul miasma venereum latens praediſponentem cauſam conſtituit, facile certe non erit. Ad parentum vitam anteactam, valetudinem, ſymptomataque varia in iis forte adhuc praeſentia, quae ſyphilidem nondum perfecte deletam indicant, ſtudioſe reſpiciendum. Maior quoque ſyphilidis ſcrofulis admiſtae ſuſpicio in iis eſt regionibus, in quibus illa plurimum graſſatur. Ceterum in infantibus, quae luem manifeſtam a parentibus accepere, diagnoſis dubia non eſt.

Quae quamvis ita ſint, ſciendum nihilominus, non ſemper prolem eorum, qui ſyphilide laborarunt, ad ſcrofulas eſſe diſpoſitam. Saepe enim ab illis, qui pluries ſalivationem experti & morborum ſyphiliticorum agmine miſere detenti fuerunt, infantes naſcuntur ſani nec vel minimum ſcrofularum veſtigium unquam oſtendentes. Saepe etiam *) venereum virus a parentibus in prolem revera translatum eſt, nec tamen in hac ulla ſcrofularum indicia ſeſe manifeſtant. Et ſi ſola imbecillitas infantibus connata fuerit, congruo regimine aptaque diaeta & medicatione ortus morbi noſtri facile cavetur.

Generatim a parentibus valetudinariis, exhauſtis, imbecillis, (ſive inde a nativitate, ſive ex morbis diuturnis, vitae genere molli, otioſo, ſedentario, potuum calidorum vel ſpirituoſorum abuſu aliisque diaetae erroribus tales fuerint) cachecticis, cacochymicis, ſcorbuticis, arthriticis &c. progenies naſcitur infirma, & tum omnis generis morbis infantilibus tum inprimis quoque ſcrofulis

 facile

*) CULLEN l. c. §. 1690.

facile obnoxia. Nec reticenda mater hyſterica fluore albo laborans, diaetam ſub graviditate negligens, abortus perpeſſa, thoraces ſtrictiores gerens, animi affectibus, moerori praeſertim & triſtitiae obnoxia &c.

Innumeris documentis confirmantur lactis, quod propter matris vel nutricis qualiacunque vitia — corporea ſint ſive moralia — aut pravam diaetam minus laudabile evaſit, nocivi in tenellos lactentes effectus. Maxime inde primae viae affliguntur, cum in has lac ingeſtum immediate agat, neque fieri poteſt, quin ex eo digeſtio & chylificatio multum perturbetur. Subitanea lactis depravatio v. c. a vehementi animi commotione, ſubitaneis quoque affectibus puſillum affligit, convulſionibus, quin repentina morte. Exemplum mihi innotuit matris lactantis, ſaltatione inſigniter excalefactae ſtatimque infanti ubera praebentis, qui vero inde extemplo convulſus periit. — Aliae vero ſunt lactis ex nutricis culpa depravationes, quae lenta quaſi malignitate in tenellum agunt, ſeminiaque affectuum chronicorum & inter hos quoque ſcrofuloſorum alumno inducunt. Si enim nutrix fundit lac vetuſtum, craſſum, nimium, vel nimis tenue, iners, parcum, ſi victu craſſo illaudabili utitur, animi affectibus obnoxia eſt, multa diaetae & regiminis vitia committit, gravida eſt, vel valetudinaria, ſyphilidis, ſcorbuti, ſcrofularum, cancri, cruſtae lacteae &c. fomitem in corpore alens, ad morbum noſtrum diſponere tenellos inde a primis incunabulis poteſt. Generatim raro nutrices deprehendi licet, quarum corporis conſtitutio matris conſtitutioni exacte ſatis reſpondeat, quarum proinde lac infanti ſalutare ſatis cenſeri queat; inprimis cum plerumque iam

per

per aliquod tempus proprium vel alium infantem lactarint, hinc lac pro recens nato nimis vetuſtum fundant.

Ceterum omnis fere generis errores circa educationem infantum phyſicam commiſſi, quos mox ſub cauſarum occaſionalium catalogo ſpecialius paulo perluſtrabimus, valetudinarios infantes reddere & ad ſcrofuloſos quoque affectus diſponere poſſunt.

ACKERMANNUS *) ait: „veriſimile eſt, varia organica vaſorum lymphaticorum vitia cauſis praediſponentibus annumerari poſſe. Talia v. c. ſunt praeternaturalis illorum in glandulis implicatio vel ruptura, aberrationes variae ſeu vitioſae valvulae.“

Cauſas vero iam propoſitas omnes ad ſcrofulam proprie dictam inducendam parum valere, niſi diſpoſitio haereditaria ad morbum adſit, iterato notaſſe iuvabit. Quotidiana ſunt exempla, ubi tales cauſae — ſummo quidem gradu — praeceſſerant, nec tamen ſcrofuloſi affectus ſuccedebant; alia e contra, ubi illis exulantibus vel ſtudioſe evitatis, ſcrofulae tamen utique ingruebant. Haereditarios quippe morbos ſaepe absque manifeſta externa cauſa in ſcenam prodire conſtat. — Ita quoque CULLENUS **) innuit, quae de remotioribus rhachitidis cauſis apud Auctores legantur, non ſatis firma eſſe; ſeque multos, refert, vidiſſe infantes rhachiticos, a parentibus perfecte, ut videbatur, ſatis prognatos, viceque verſa infantes nunquam rhachitide correptos, licet a parenti-

*) Diſſ. cit. p. 9.
**) d. l. §. 1659.

rentibus geniti eſſent, qui iuxta communem ſententiam non niſi rhachiticam prolem progignere debuiſſent. IDEM *) tum ſolummodo nutrices morbum rhachiticum inducere aſſerit, ſi diatheſis infanti congenita fuerit.

Nihilominus tamen cauſae praediſponentes ultimo memoratae haereditarium vitium augere illiusque evolutionem accelerare poterunt, pro levioribus praeterea affectibus ſcrofuloſis & ſcrofula meſenterica ſolae, ſi aptis cauſis procatarcticis adiuventur, ſufficiunt.

§. 50.

Cauſae ſcrofularum procatarcticae. Ingeſta.

Si ſeminia morboſa modo enumerata (§. 48. 49.) corpori inhaereant, tunc accedentibus aut ſollicite non evitatis potentiis nocentibus ſive cauſis occaſionalibus mox perſtringendis morbus ſcrofuloſus eo facilius erumpit. Notandum tamen, ſaepius potentias nocentes, licet ne minima quidem praediſpoſitio in corpore adſit, continuato uſu & per longum tempus admiſſas per ſe ſolas tum corpus ſenſim ita mutare poſſe, ut ad morbos diſponatur, tum ſucceſſu temporis morbi eruptionem, ultimo ſymbolo occaſionali adiecto, promovere.

Ingentem igitur iam cauſarum procatarcticarum, quae ad ingenerandas ſcrofulas facere poſſunt, numerum diſquiſituri, eaſdem iuxta ſex rerum n. n. ſeriem ſatis commode diſponi poſſe videmus, quod tamen ita inſtituemus, ut ne nimis ad huncce ordinem nos adſtringamus.

Omnia

*) l. c. §. 1660.

Omnia vero, quae ſtatum naturalem ſanum vel fluidorum vel ſolidorum corporis, vel utrorumque ſimul ita mutant, ut tranſitus liber & aequabilis humorum per ſua vaſa turbetur atque impediatur, infarctibus cuiuscunque generis gignendis anſam praebent, proinde etiam ad cauſas affectuum ſcrofuloſorum referenda.

Agmen ducant *Alimenta* & *Potulenta*, tum, quae natura largitur ea qua aſſumuntur forma; tum quae vario culinari artificio ex naturae productis parantur. Cibi vero huc pertinentes ex vegetabilium inprimis tribu ſunt, cum haec praecipue ad acidum viſcidumque, quod hic maxime reſpici debet, ingenerandum prona & apta ſint nata. Victus itaque ex alimentis vegetabilibus viſcidis, incraſſantibus, crudis, dyſpeptis, in naturam acidam pronis, inprimis ſi crebrius & copioſius ingurgitentur, primo loco conſiderandus eſt. Talia quippe nutrimenta a debilibus infantum ventriculis in laudabilem verti nequeunt chylum, ſed pro natura ſua in viſcidam acidamque ſaburram fatiſcunt, & chylus inde emergens viſcidus, craſſis, crudis, a natura animali nimis alienis, terreis particulis inquinatus, aceſcens, lympham corrumpit glandulasque obſtruit; eo quidem facilius, cum docente GAUBIO *) acidum viſcidumque in cibis praeter telae celluloſae infarctus, ſyſtematis, quod ad bilem pertinet, inertiam, generis nervoſi languorem & torporem vis vitalis inducat.

Sunt ex nobiliori hominum claſſe parentes, qui infantibus ſuis carnes omnes denegant usque ad quintum, quin ſeptimum annum, eosque ſolis ve-

*) Inſtit. pathol. §. 458.

vegetabilibus, pane triticeo, vel bis cocto, lacte & oleribus nutriunt, mirum inde tenellis beneficium contingere exiſtimantes. Aliquoties vero iam talibus parentibus, diaetam hanc infantilem maxime erga me gloriantibus, in infantum corporibus abdomen tumidum & initia cachexiae ſcrofuloſae oſtendi, adeoque illos non perfecte, uti parentes exiſtimabant, ſanos eſſe, monſtravi. Certe talis diaeta mere vegetabilis in noſtro temperatiori climate in infantes iam alterum annum & ultra natos minime quadrat. Carnes tenerae & iuſcula maxime iis, ad acidum viſcidumque per ſe pronis ſunt accommodata, inprimis ſi debile corpus & diſpoſitio ad ſcrofuloſos & rhachiticos affectus ipſis connata fuerit. Conſentit mecum Cl. WEIKARD *), qui eos infantes prae aliis rhachitidi obnoxios eſſe, innuit, qui iuxta conſuetudinem melioris conditionis hominum usque ad quintum vel ſeptimum annum absque carnibus educantur; & b. KAEMPF **) teſtatur, ſe multis infantibus, quos lactei cibi, iuſcula aquoſa & olera cum aqua cocta, quae natura ſua parcum ſolummodo & acidum nutrimentum ſuppeditent, miſere emaciarant, ſolius diaetae animalis ope firmam florentemque corporis conſtitutionem conciliaſſe. Etiam b. VOGEL †) aſſerit, carnium eſum perperam tanquam cauſam atrophiae accuſari; quum longe frequentius in atrophiam coniici videas infantes, quibus iſtae denegantur, quam quibus exhibentur.

No-

---

*) *Abh. von der eigentlichen Kraft, wodurch Vegetation und Nahrung geſchieht.*

**) l. c. p. 341.

†) Praelect. p. 534.

Notandum, maximam partem alimentorum mox enumerandorum a pauperculis, plebeiis & ruriculis potiſſimum comedi, veluti in hos inprimis ceterae quoque ſcroſularum occaſionales cauſae cadunt. Hinc ratio reddi poterit, cur plerique ſcroſuloſi ex infima hominum claſſe ſint; quod omnino experientia confirmat. Teſtatur iam DIONIS *), plus quam tres quartas partes ſcroſuloſorum, qui Galliae regi ſeſe ſiſtant ſanitatis remedium expoſcentes, eſſe ruricolas. Pronunciat quidem STOLLIUS **) rarum ruri, frequentem in urbibus morbum eſſe, ſed hoc aſſerto noſtro non contrariatur. Lubenter enim HECKERO †) largimur, in *magnis populoſisque* urbibus *frequenti ſyphilide* vexatis plures naſci ſcroſuloſos infantes, quam apud ruricolas. (cf. §. 34.) In regionibus vero, ubi ſyphilis exulat, contrarium certe locum habet. Ceterum & in populoſis urbibus inter plebem potiſſimum ſcroſula graſſatur.

Ex innumeris iam, quae hic commemorari poſſent, alimentis, praecipua ſolum & in noſtris terris uſualia ſeligemus. Occurrunt autem primo loco quaelibet farinacea, inprimis plane non vel non bene fermentata. CHAMBERLAINE ††) refert, rariſſime deprehendi infantes nigritarum, quibus abdomen tumidum non fuerit vermibusque ſcatens, cauſamque repetit a victu difficillime digerendo & non niſi fere farinaceo.

Ruſti-

---

*) Cours des operations de chir. p. 641.

**) Praelect. in morb. chron. p. 31.

†) *über den Tripper* p. 57.

††) on Cowhage or Stizilobium. Lond. 1785.

Ruſticorum pueri in campis oberrantes mire delectantur granis frumentorum, triticeis praeſertim & ſecalinis, quae magna ſaepe copia cruda manſlunt devorantque, quod etiam a pauperibus non raro ad famem ſedandam fieri ſolet & ſine noxa certe fieri nequit. — Praecipue autem notandus panis non bene fermentatus & coctus. In quamplurimis urbibus & tantum non omnibus pagis, homines quem conſumunt panem ipſi parant nec a piſtoribus emunt. Multi vero, inprimis pauperculi ex negligentia vel ad laudabilem panem requiſitorum penuria, nobiliſſimam hanc nutrimenti partem mala arte corrumpunt & depravant. Non ſatis ſaepe fermenti addunt, quod rarefacere & digeſtu faciliorem reddere poſſit panem; vel glebis nimis magnis illum efformant, ut furno inditus non ſatis coquatur, ſed mica, inprimis nucleus tenax, viſcidus, crudus perſiſtat. Hoc tum de qualicunque pane, tum praecipue de groſſiori Weſtphalorum, *Pumpernickel* dicto, valet, quem ingentem ſaepe in magnitudinem efformant.

Plebeiorum permulti, ſi maturius panis ipſis conſumtus eſt, farinam cum aqua abſque addito fermento in paſtam redigunt, hancque ollae inditam in placentam pinſunt & hac ratione panem extemporaneum parant, qui vero tenaciſſimus, denſus, difficillime a ventriculo ſubigendus evadit.

Feliores ſane hoc reſpectu ſunt illae urbes, quae ſolo a piſtoribus confecto pane utuntur, qui, ut rite comparatus ſit, magiſtratus vigilat.

Infantes, qui per totam aeſtatem panem mucore infectum comedunt, chronicos ſibi contrahunt morbos; quod frequenter fit in habitaculis humi-

humidis ex lapidibus exſtructis, & ubi arca, qua panis ſervatur, ad parietem lapideum poſita eſt.

Neque conducit infantibus ad morbum noſtrum diſpoſitis panis acidus. — Mica panis magis ad acidum viſcidumque inclinat, quam cruſta, magis proinde etiam noxia. Taxandus porro panis calide, dum furno extrahitur, vel generatim nimis recens, nec dum rite exſiccatus, comeſtus.

Uti vero panis, etiam male praeparatus, ab adultis, robuſtis, labore corpus exercentibus facile utplurimum & absque noxa digeritur & ſubigitur, ita infantibus praeprimis infeſtus eſt, eo magis, ſi nimius ingurgitetur. Panis ingluviem infantum glandulas obſtruere oſſaque emollire, cenſet THEDEN *). SHEBBEARE **) credit, rhachitidem in Gallia idcirco frequentiſſimam eſſe, quoniam vel mero pane infantes infarciantur. Addephagiam tum ſymptoma tum cauſam cachexiae ſcrofuloſae eſſe, alibi notavimus. Panem ſolum absque aromate vel alio cibo, praeſertim animali, eius digeſtionem adiuvante, devorare, dura neceſſitas cogit egenos.

Omnes fere pueri ingenti appetitu feruntur in panem butyro illitum, quem quinis ſaepe vel ſenis vicibus per diem avide nec in parca quantitate vorant. Quod quidem procul dubio infarctus facilitat, cum butyrum inſuper primas vias relaxet, nimiaque quantitate ſumtum difficulter digeratur.

Maxi-

*) *Neue Bemerkungen* I. p. 164.
**) ap. ZIMMERMANN *von der Erfahrung* p. 501.

Maxime vero nocivi & a debili infantum ventriculo difficillime digerendi iure cenſentur omnes cibi farinacei, pinguibus & ovis additis absque debita fermentatione parati. Huc praeprimis pertinet placentarum omne genus, ex paſta farinacea non fermentata, quae pinguibus additis tenacior adhuc evaſit, conſtans, & inter laminas ferreas vel in patina vel olla celeriter coctum, uti omnium hominum ita praecipue iuniorum delectamentum.

Mentio quoque iniicienda pulticularum farinacearum, ex farina & lacte coctarum, viſcidumque & glutinoſum, fermentatione nulla imminutum referentium. Hae pulticulae, quibus mulierculae tenellos nutrire & infarcire inde a primis incunabulis ſolent, ab omnibus medicis uno ore vituperantur, & pro praecipua cauſa infarctus glandularum, inprimis meſentericarum, atrophiae, rhachitidis aliorumque morborum infantilium habentur. Licet vero negari minime queat, tales pulticulas minus recte paratas, tenellis maxime nocivas eſſe *), inprimis ſi diſpoſitio ad ſcrofuloſos & atrophicos affectus ipſis connata, non tamen ſemper iis careri poſſe, KAEMPFIUS **) experientiae congruenter docuit. Obſervabat nempe, quibusdam infantibus pulticulas ex

*) vid. e. g. Ill. ZIMMERMANN l. c. p. 520. ſq. THEDEN lib. cit. Sect. 25. BROUZETO (eſſay ſur l'education medicinale des enfans. Vol. 1. p. 216.) veroſimile videtur, pulmenta eſſe cauſam rhachitidis Pariſiis & in regione *Isle de France* fere endemiae, cum in aliis Galliae provinciis, ubi infantes non pulticulis ſed panada aluntur, rariſſimus morbus ſit.

**) l. c. p. 324.

ex pane bis cocto vel triticeo optime paraſas, concitare rumores in abdomine, flatus & tormina, quae omnia pulticulis farinaceis exhibitis ſtatim minuebantur. Sumendam vero iubet KAEMPFIUS farinam in crucibulo bene exſiccatam, quae cum lacte usque ad craſſam cruſtam coquatur. Similem, communi praeſtantiorem, pulticulam praedicat quoque BALLEXSERD *), quae ex farina in patina ampla cocta & ſaepe agitata paretur.

Quae iam propoſuimus, ad farinacea e frumentorum claſſe in genere ſpectant, ex quibus triticum, ſecale, hordeum, avena, milium, Oryza, fagopyrum, nec non frumentum Turcicum in noſtris terris potiſſimum uſu veniunt. Horum tamen alia magis viſcidam, tenacem, incraſſantem, infarcientem, acido faventem, magisque proinde infantibus nocivum cibum dant aliis. Sic v. c. panis triticeus magis obſtruit ſecalino, licet hic minus nutriat magisque acido faveat, oryzae inprimis vis obſtruens competit, ad acidam corruptionem vero minime prona eſt, & ſ. p.

Frumentorum noſtro tempore ſuccedaneum frequentiſſimum conſtituunt Solani tuberoſi radices, quae, ſi iam ſubito hominibus prorſus eriperentur, pauperum ſane innumeri fame perirent. Horum vero tuberorum ingluvies non ſine noxa eſt, ſed in infantibus praeprimis meſenterii infarctus, habitum pallidum, cachecticum, atrophiam &c. creat. Nimium ſolani tuberoſi eſum cum vita deſidi frequentiſſimam obſtructionum me-

---

*) Diſſ. ſur l'education phyſique des enfans, p. III.

meſenterii cauſam recte cenſet HALLERUS *). Diſtinguendum illa ſolani tubera inter, quae in arvis coluntur, eaque, quae terra pinguiori in hortis creſcunt. Illa ſunt rarioris farinaceaeque ſubſtantiae & facilius digerenda; haec vero ſaporem ſubdulcem nauſeoſum, ſubſtantiamque tenacem & viſcidam habent & difficillime concoquuntur. Maxime vero nocet ſolanum tuberoſum, ſi cruda tubera devorantur, quod haud raro plebeii pueri faciunt. Tum enim praeter maiorem viſciditatem narcoticum principium adhuc inhaerens haud leve ſymbolum ad inducendos & confirmandos infarctus adfert. – Gottingae plebeiis ſcrofulae endemiae ſunt, quod magnam certe partem ab eſu frequentiſſimo ſolani tuberoſi, quod ibidem magna copia colitur & ab egenis avide expetitur, derivandum.

Leguminoſa omnia, licet robuſto ventriculo excepta optimum & valide nutrientem cibum conſtituant, inprimis ſi digeſtio per vitam exercitatam iuvetur, in debiles tamen infantum vires concoctrices nullo modo quadrant. Craſſus chylus, torpor, meſenterii infarctus, flatus inteſtina diſtendentes & eo ipſo infirmantes inde reſultant. Praecipue cruda legumina vituperanda ſunt, quae recte GALENUS δυσπεπτωτατα dixit. Frequenter vero aeſtatis tempore a plebeiorum ſobole crudae fabae, piſa &c. ingeruntur. Huc nempe pertinent fabae, (*Viciae fabae* Linn. aliquot varietates) praeſertim iam adultae ac duriores, vel ſiccatae hyeme coctae comeſtae, phaſeoli, piſa, lenticulae, viciae, lathyrorum variorum fructus, cicera, lupi-

*) Elem. phyſiol. T. I. p. 193.

lupini, dolichos &c. quae omnia plus minus frequentem hominum cibum conſtituunt.

Ruſticorum proles, quae de patula Iovis arbore ceciderunt, glandes, crudas devorat ſaepe aut igne leviter toſtas. Neque minus nuces iuglandes, avellanae, caſtaneae, amygdalae, fructus tribuli aquatici, Hippocuſtani &c. a pueris plus minus amantur, & tum recentes tum ſiccati magna ſaepe copia ingeruntur; unde non poteſt non digeſtio inſigniter laedi & meſenterium a crudo craſſoque chylo obſtrui. — Taceo alia farinacea, quae ſumma annonae caritate ad panem recipiuntur. Nec de variis noxiis, quin venenatis additamentis, quae quondam Londini pani impinſerunt malefici piſtores, quo albus ille evaderet, ſermo nobis hic eſt, licet additamenta iſta magnam partem ſtyptica eſſent alvumque cohibentia, hinc ad obſtructiones pertinaces ingenerandas panem aptiſſimum redderent.

§. 51.

Continuatio ſermonis de ingeſtis tanquam cauſa ſcrofularum occaſionali.

Praeter farinacea auſtera etiam, acerba, adſtringentia vegetabilia ad glandularum infarctus procreandos plurimum valent, praecipue cum huius indolis ingens farrago in nutrimentum hominum cedat. GAUBIUS *) ait: „Chylus auſterus generatur ex ingeſtis ſimilibus, immaturis, acerbis, vinis auſteris, abuſu abſorbentium, adſtringentium, coagulantium, maxime ſicubi copioſo

*) l. c. §. 326.

pioſo liquore non diluuntur, inque debili corpore nec vi ſaponacea bilis, nec valido motu animali tenuantur; — introitum in lactea ſibimet impedit, hinc reſtagnans cum fece miſtus immobili ſuo privat nutrimento corpus, aut intro admiſſus glandulas meſenterii obſtruit." — Notandi primo loco fructus horaei immaturi, aquoſi, crudi, vappidi, mucilaginoſi, acerbi. Ex cauſis certe, quae copioſiores in frigidis, quam calidis regionibus efficiunt ſcrofulas, ea quoque eſt, quod in frigidiori climate horaei fructus rarius ad debitam maturitatem perveniant, nec acidum acerbum in iis a calore ſolis ſatis ſubigatur blandumque reddatur. Pueros omnes mira cum aviditate ingerere cernimus poma pyraque. Pauperculi ipſa ſylveſtria, immatura, maxime auſtera, expetunt, quin comedunt ſaepe fructus Meſpilorum, antequam putruere, nec non acaciarum fructus crudos. Cornea, ſorba, cynosbata, ceraſa acida immatura, pruna Groſſularia, ribeſia, fructus vacciniorum, uvae vinaceae acerbae, huiusque generis alii fructus, qui omnes, praeſertim immaturi, acidum plus minus acerbum, a debili infantum ventriculo vix ſubigendum, ſed chylum inquinans & meſenterium obſtruens cuſtodiunt. Lympham vero ab ingluvie fructuum horaeorum corrumpi ſatis, ex eo apparet, quod ſaepius abinde corpus peculiari ſcabiei genere affligatur, ſcabies capitis cum pediculorum ſobole ſubnaſcatur in pueris, aut ea iam praeſens mirum quantum augeatur & exacerbetur.

Fungi edules ob viſcidam tenaciſſimamque ſubſtantiam aegerrime digeruntur, & omni reſpectu ancipitem cibum conſtituunt. Nec reticenda olera duriora, craſſiora, inprimis condita, uti

braſſica

braſſica acida condita, rapae conditae, phaſeoli cum leguminibus conditi &c. quae copioſius & frequentius comeſta in infantilem ventriculum neutiquam quadrant.

Vario nomine dulcia, mellita & ſaccharata, quae avide infantes appetunt, copioſius & frequentius ingeſta ad cachexiam ſcrofuloſam evolvendam conferre poſſunt. Namque debiliori & ad aciditatem prono ventriculo excepta facillime in acidum primarum viarum fatiſcunt, quare etiam Rhachitici, notante iam GLISSONIO *), averſantur dulciaria. Porro ſolidas partes, praeſertim primam officinam, relaxant, hinc vermium generationi omnino anſam dant mediatam, licet per ſe vermibus contraria eſſe & pituitoſa ſolvere lubenter largiar. Anonymus ait **): „Saccharum inprimis, ubi pane aceſcente mixtum fuerit, copioſe infantibus datum, obſtructiones glandularum infimi ventris, fida & copioſa obſervatione teſte, ſemper producit.“ — Quodammodo huc pertinet Rob fructuum horaeorum, v. c. pyrorum, prunorum, frequens butyri ſuccedaneum.

Ex animali quoque regno varia alimenta hic vituperanda veniunt. In tenellis adhuc lactentibus lac ex matris vel nutricum vitio minus laudabile diatheſin ſcrofuloſam evolvere, quin ipſum infantes ad tales affectus diſponere poſſe, ſupra (§. 49.) iam notavimus. Omne vero lac in pueris, quibus iam ſcrofuloſae dyſcraſiae initia inhaerent, quorum nempe iam glandulae infarctae,

 pri-

*) Tract. de Rhachitide, p. 272.

**) in Comment. de rebus in ſc. nat. & med. geſtis, Vol. XXVII. p. 262.

primaeque praeſertim viae acida viſcidaque ſaburra obrutae ſunt, ad cauſas mali incrementum augentes referendum eſt. Lac enim copioſius ingeſtum male digeritur, acidumque & viſcidum auget, ſi debili & impuro ventriculo excipitur. Hoc tamen non impedit, quin lac in quibusdam affectuum ſcrofuloſorum caſibus inter optima remedia collocandum ſit, id quod alibi apparebit. Magis vero taxanda ſunt lactaria acida; porro lac coagulatum, item caſeus omnis, praeſertim recens vel aromate non conditus vel butyracea ſubſtantia nimis privatus. Ovillus potiſſimum & caprillus viſcida imum ventrem ſaburra obruit.

Nec reticenda ova dura, piſces in ſtagnis limoſis altiles vel ſiccati fumove indurati.

Seba, pinguedines, omniaque oleoſa copioſius ingeſta non relaxant ſolum, ſed etiam a debili infantum ventriculo aegre digeruntur, inſuper cum bilis iners plerumque ſit. GAUBIUS *) ait: *Si virium coctricium torpidior fuerit actio, qui in eſculentis pinguedinibus natura ineſt, mucus, facile in viſcidum degenerat & inertem pituitam per univerſum corpus diffundit.* Fercula pinguia tunc praeprimis nocent, ſi iis copioſius comeſtis potus frigidus ſuperingeritur; nec rara ſunt exempla repentinae inde conſecutae mortis. A multa carne vervecina ingeſta colicam & mortem obſervavit LIEBERKüHN **), & inteſtinorum villos poſt mortem pinguedine turgentes reperit. Ceterum nocivae inprimis ſunt pinguedo ovilla, ſuilla, anſerina.

Ipſas

*) l. c. §. 459.
**) ap. LOESEKE mat. med. p. m. 109.

Ipſas carnes quidem inter cauſas ſcrofularum procatarcticas vix referri poſſe cenſeo, cum aciditatem chyli corrigant &, niſi nimia quantitate ingerantur, mollioris indolis & rite coctae vel aſſatae ſint, ab infantibus ſat facile digerantur. Attamen carnes, quarum textura tenacior viſcidiorque eſt, e. g. ſuilla, anſerina, debilibus infantum viribus concoctricibus haud ſunt accommodatae & chyli viſciditatem augent. Praeterea partes animalium glutinoſae, quorſum inprimis pertinent pedes vitulini, vituperari merentur.

Licet optimae indolis cibi ſint, nimia tamen eorundem ingurgitatio ſive guloſitas detrimentum affert, canalis alimentaris frangit vires atque digeſtionem peſſumdat. Peſſima eſt pravorum alimentorum ingluvies. Optimum infantes ſalutaris cibi ſaepius parcam quantitatem nec ſemel & ſimul nimiam aſſumere. — Inter cauſas atrophiae quandoque eſt, referente F. HOFFMANNO *), victus in tenellis mutatio, quando nimirum a lacte matris vel nutricis ſubito nimis ad ſolidiorem deferuntur cibum.

Subiungenda quaedam ſunt de potulentis. Aquae duris, craſſis, auſteris, ponderoſis, terreis, calcareis, tophaceis, ſeleniticis, metallicis, vitriolicis particulis ſcatentes, nec non nivales in montoſis regionibus fontanis admiſtae pro praecipua ſtrumarum cauſa ab Auctoribus habentur **). Quod vero aſſertum licet ad ſtrumas potiſſimum en-

*) Supplem. ad med. ſyſtem. p. 54.

**) Cl. DE LUC (Lettres ſur les Montagnes; T. I. p. 17.) ubicunque, inquit, ſcrofuloſos vidi, aquas tophaceas obtinere obſervavi.

endemias pertineat, nullus tamen dubito, tales aquas etiam diatheſeos ſcrofuloſae evolutionem promovere malumque augere poſſe. HIPPOCRATES iam facultatem aquarum impurarum, tumores glanduloſos ingenerandi, notaſſe videtur; dum mulieres, refert in iis locis, ubi ſtagnantes aquas bibunt, ſteatomatoſis tumoribus eſſe obnoxias *). Gottingae ſcrofulae frequentiſſimae ſunt, aquae vero ibidem ſcaturientes calcareis particulis inſigniter abundant, ita ut brevi tempore craſſa cruſta lapidea parietibus vaſorum coquendae aquae inſervientium apponatur.

Potuum calidorum, Coffeae, Theae, abuſus, qui noſtro aevo iam a primis fere incunabulis obtinet totumque corpus, inprimis vero vires digeſtrices relaxat, debilitat, vix quoque non inter remotiores frequentiorum affectuum ſcrofuloſorum cauſas referri poteſt.

Cereviſiae vix non omnes debilem ventriculum acido obruunt, dulces non fermentatae flatulentiam ingenerant. Inter remotiores rhachitidis cauſas taxat ROSENSTEIN **), ſi tenellis noctu cereviſia, quae furno vel camino impoſita fuit & acorem aſſumſit, porrigitur. — Nec omittenda vina acida, auſtera, recentia, tartaro abundantia, licet parcus vini generoſi uſus pueris apprime conducat.

Malam cibi ſolidi ac potus proportionem noxiam quoque eſſe conſtat. Pueri autem ad vitium ſcrofuloſum inclinantes ob acidum in primis hoſpitans viis parum ſitiunt, nec quos inſigniter appetunt

*) de aer. aqu. & loc. Cap. 3. Text. 7.

**) *Kinderkrankheiten*, p. m. 571.

petunt magnaque copia ingerunt, cibos ſolidos, craſſos, farinaceos, ſufficiente potu diluunt, id quod non obſtante humida temperie proclivitatem ad glandularum infarctus inſigniter auget. „Spiſſa enim ſarcina, ut GAUBII *) verbis utar, gravatus ventriculus aegre digerit, tarde expellit, craſſiorem inteſtinis tradit chylum, qui & per haec difficulter mobilis, horum muco magis inviſcatus, fece multa, ſpiſſa, ſicca, reſtagnante opplet, chylum parciorem, ſpiſſiorem lacteis tradit: unde meſenterii obſtructio; ſanguis glutinoſus; — ſimiles alii humores; ſalis non diluti acritas maior; excrementi ſeceſſio & expulſio difficilior; cacochymia; — viſcerum infarctus &c."

§. 52.

Medicamina, Venena, infarctus glandularum cauſae.

Etiam quaedam medicaminum genera infantibus crebrius, absque neceſſitate & incaute propinata ſcrofularum generationi patrocinantur. Huc pertinet praecipue *purgantium abuſus*, notante iam immortali SYDENHAMO **) his verbis: „certum eſt, quod frequenter repetita (purgantia ſcil.) in corporibus imbecillibus, maxime vero in aetatibus tenellis plurimum officiant; cum ex hac Πϱοφασει ingens humorum colluvies in viſcera eliciatur, atque iis in partibus depoſita fermentationes praeternaturales invitet; ex quibus deinceps *Tumores in infimo ventre* oriuntur, tanto magis in dies mole augeſcentes, quanto ſaepius aeger pur-

*) l. c. §. 456.
**) Opuſc. univ. p. 510.

purgetur;" & paulo poſt: „Quandoque etiam oeconomia viſcerum ob cauſas iam dictas (abuſum nempe catharcticorum) penitus everſa, *glandulae praeternaturales*, *ſtrumae* ſoboles & id genus ſimilia meſenterio accreſcunt & ad mortem viam ſternunt." Eam quoque ob cauſam caute verſari iubet SYDENHAMUS *) circa uſum purgantium in Rhachitide, unamque aut alteram purgationem alterantium uſui praemiſſam ſufficere monet. HOFFMANNUS **) purgantia fortiora ad atrophiam infantes diſponere obſervat, ſuoque iam tempore GALENUM prudenter aſſeruiſſe refert, quod corpora puerorum non debeant purgantibus exſiccari, quia alioquin incremento prohiberentur.

Certe abuſus purgantium apud infantes frequentiſſime fiunt. Plurimi ex eminentiori hominum claſſe tenellos fere inde ab ineunte aetate absque ulla neceſſitate exigente tum laxantibus mannatis, rhabarbarinis, ſalinis, tum ipſis acrioribus purgantibus, ialappinis praeſertim & mercurialibus excruciant. Quod quamvis in quibusdam caſibus ad colluviem pituitoſam & verminoſam educendam utiliſſimum eſſe poſſit, ex abuſu tamen noxae graviſſimae propullulant. Quippe debilia irritabiliaque infantum inteſtina crebra purgatione infirmantur magis magisque, unde pituitoſae ſaburrae accumulatio, vermium ſoboles & exſultans inde iterum iterumque purgandi neceſſitas, digeſtio turbata, infarctus meſenterii, infirma per totam vitam valetudo. Taceo, quod pur-

*) l. c. p. 512.
**) l. c. p. 21.

purgantium, quibus obruuntur, nauſeoſiſſimo ſapore pueri ab omni medicaminum uſu in futuris forſan morbis neceſſario, deterreantur. Peſſimus eſt mos plebeiorum, infantes ſtercore murium in lacte ſoluto purgandi.

Aliud pharmacorum genus, quod infarctus glandularum cauſa fieri poteſt, conſtituunt *abſorbentia terrea*, inprimis *calcarea*; quae in morbis infantilibus crebro uſu veniunt. Si merum acidum pituita non nimia remixtum in primis viis adſit, tunc abſorbentia cum acido iuncta plerumque laxantem indolem acquirunt, nec in canali alimentari reſtagnando nocent. Si vero pituita viſcida exſuperat, motu ſimul periſtaltico languente & doſi largiori nimisque frequenter terrea ingeruntur, tunc ea cum viſcido in tenacem irreſolubilem maſſam, ad glandulas meſenterii infarciendas & lacteorum principia occludenda aptiſſimam natam compinguntur *). Abuſum abſorbentium atrophicos haud raro affectus in infantibus procreare notat ALBERTI **), cum in iis infantibus, quibus in nimia doſi illa exhibita, poſt mortem cruſtae quaedam ſolideſcentis materiae in ventriculi & inteſtinorum parietibus haerentes deprehenſae fuerint. Conſentit HOFFMANNUS †) inquiens: *neque inficiandum, ex praepoſtero medicamentorum, praeſertim terreorum abſorbentium & adſtringentium in diarrhoeis, febribus intermittentibus, torminibus, variolis &c. uſu tabidos affectus infantibus poſſe accedere;* nec non MELLINUS ††), qui prae-

*) TRALLES de terr. remed. Cap. VI. p. 53.
**) Diſſ. de atrophia §. 10.
†) l. c. p. 53.
††) *Kinderarzt*, p. 136.

praeter alia abuſum quoque famoſi illius pulveris Marchionis taxat. Laudandum maximopere, crebriorem terreorum uſum ex hodierna praxi exulare & magneſiam ad infringendum in infantibus acidum praecipue adhiberi. Haec enim acido iuncta in ſolubilius ſal tranſit, nec veluti calcarea, praeſertim ſi pituita viſcida accedat, in gypſeam, irreſolubilem, obſtruentem maſſam. Saltem, ſi calcarea exhibere velimus, laxantia vel iungenda vel poſtea exhibenda ſunt.

Abuſus corticis peruviani, martialium & opii ad infarctus generandos aptiſſimus *). Taxandus inprimis praepoſterus corticis peruviani in febribus intermittentibus etiam infantilibus uſus, licet ex altera parte non minus certum ſit, febres tales diutius excruciantes nec mature cortice ſublatos infarctuum meſenterii aliorumque viſcerum frequentem cauſam exiſtere. — Medicamenta oleoſa inter atrophiae cauſas quoque commemorat KAEMPFIUS **). — Porro abuſus diaphoreticorum huc pertinet.

Neque minus vituperandus ſpirituoſorum, elixiriorum ſtomachicorum & ſ. p. abuſus, quorſum etiam referas ſpiritum frumenti iam a pueris crebrius ingurgitatum, quod inter plebeios certe frequenter fit.

Plura forſan dantur medicamina, quae maleſana arte uſurpata infarctibus glandularum & evolutioni cachexiae ſcrofuloſae patrocinantur. Sed in iam notatis, tanquam praecipuis, acquieſcimus.

Ex

---

*) KAEMPF *Abhandl. von einer neuen Methode &c.* p. 64. & al.

**) Enchirid. med. p. 224.

Ex *venenis* ſaturnina inprimis huc ſpectant. I. H. SCHULZE *) cauſis atrophiae annumerat vaſorum ſtanneorum, quibus ſemper plumbum adiectum, uſum, quum facile ab aceſcente potu in iis aſſervato tantum plumbi ſolvatur, quanto opus eſt, ut natura teneri corpuſculi inde laedatur. Plumbum autem ingeſtum glandularum obſtructiones ciere poſſe, apparet tum ex ipſius vi ſtyptica tum ex caſu a Cl. THUNBERG **) memoriae prodito. Plures nempe homines comederant de placenta, cui loco farinae ex errore ceruſſa incocta erat; inde praeter alia eaque graviſſima ſymptomata in quibusdam quoque glandularum in ore & ſub mento tumores excitati. BURSERIUS †) ait: „Saturnina medicamenta veneni lenti inſtar agunt, & *tabe* utplurimum *glandulari* ſive *ſtrumoſa* conficiunt." — Vina lithargyrio mangoniſata huc quoque pertinent. — Mox laudatus SCHULZE ††) ait: „etiam elegantior ſtanni ſpecies elaborari coepit, ab Anglis, ni fallor, inventa, apud quos Rhachitis etiam primum audita & obſervata eſt. In hoc per ſe ſatis innoxio metallo colliquatur regulus antimonii & orichalcum, & ne orichalcum aut cuprum nitorem corrumpat, illius dealbandi cauſa arſenicum additur," — & ex hac materia parata vaſa itidem inter cauſas atrophiae commemorat.

Plura

*) Diſſ. de atrophia. Hal. 1735.
**) Vetenſk. Akad. Handlingar, for år 1773. Vol. 34. p. 40.
†) l. c. Vol. I. p. 392.
††) Diſſ. cit.

Plura alia ſtyptica venena huc referri poſſent. Sic Cl. CLOSSIUS *) credit, Hollandos ſibi contrahere infarctus vino alumine mangoniſato, albo nempe aluminoſis pigmentis in rubrum converſo. — Spiritus frumenti in deſtillatione per cupreos tubulos cupro inquinatus & ſ. p.

§. 53.

Pravae aeris qualitates. Immunditiès.

Cum omne id, quod ſolidorum vigorem imminuit, vim nerveam proſternit, corpus laxum, iners, debile humorumque circulum languidum reddit, uti quibuscunque infarctibus, ita & in diſpoſitis ſcrofulis anſam det; aerem, cuius bona conſtitutio ad vigorem corporis & ſanitatem tam multum confert, vitiatum a nobis quoque conſiderandum eſſe, liquet. Et duplici quidem reſpectu illud inſtituendum; quatenus nempe aer vel totas provincias naturaliter ambit, vel quatenus in domiciliis hominum corruptus obſervatur.

Scrofulas locorum depreſſorum, paludoſorum, quibusque frigidum, humidum & nebuloſum coelum contigit, vel quae, licet per ſe ſatis calida, viciſſitudini tamen aeris frigidi humidique obnoxia ſunt, peculium eſſe cernimus. Hinc & ſcrofuloſi hanc aeris intemperiem aegerrime ferunt, vereque inprimis & autumno ingraveſcit malum. Quippe obſervatio docet, vitium ſcrofuloſum tam in ortu ſuo quam decurſu ad temporum anni rationem adſtringi. Generatim frigidiori vel frigido

*) ap. KAEMPF *Abhandl.* p. 63.

gido - humida tempeſtate caput efferre ſolet, aeſtate vero rarius oritur & iam praeſens multum emendatur, ingruente bruma iterum in peius ruiturum. Media autem hyeme ſicciori intenſiorique frigore regnante denuo ſaepe aliquantum mitigatur. Cl. CULLEN *) notat, ſcrofulas utplurimum eo anni ſtadio, quod breviſſimum longiſſimumque diem interiacet, prima vice ſe oſtendere, plerumque tamen diu ante poſteriorem hunc terminum; neque minus progreſſum morbi ſecundum anni tempora procedere; tumores videlicet tempore vernali ortos immutatos ſaepe manere usque ad ſequentis vel ſecundi anni ver, & tunc exacerbari, inflammari, ulcerari, ulcera vero ſcrofuloſa in vere orta ſubſequente aeſtate ſaepe ſaneſcere, nec recrudeſcere, antequam elapſo anno ver denuo ingruat & in progreſſu quoque huius anni temporis iterum conſolidari. — Etiam ophthalmia atque lippitudo, narium ſtillicidium & excoriatio, labrorumque tumor frigido - humida tempeſtate magis urgent, unde vulgus ſaepe ſcrofuloſas haſce affectiones cum mere catarrhalibus confundit. Quin omnes omnino affectus ſcrofuloſi & ſcrofulis affines aeſtate mire allevari videntur. Puerum teterrima paedarthrocace in pluribus corporis locis fere confectum tempeſtate calidiori ingruente melius habere iterumque ambulare vidi. Rhachiticos plurimos, quos morbus durante hyeme omnem ingreſſum vetarat, aeſtate appropinquante gradi iterum incipere, antiqua obſervatione conſtat. Scabies capitis hyeme inprimis ſaevire aeſtate mitigari mihi viſa, & ſ. p.

Nec

---

*) l. c. §. 1680. 1682.

Nec mirum ſane aerem frigido-humidum in corpora iuniorum per ſe ſatis humida laxaque pravum effectum exſerere. Tranſpirationem quippe ſupprimit, (quod multum ad ſcrofuloſam cachexiam inducendam valere infra dicetur,) ſolida magis adhuc relaxat, lentorem hinc & ſpiſſitudinem humoribus conciliat colluviemque ſeroſam accumulat. In locis paludoſis aer magis adhuc a nocivis exhalationibus elatere privatur languidaque reddit corpora; & in talibus, v. g. paſſim in noſtra Weſtphalia ſaepe ſcorbutica labes gingivis laxis, corruptis, dentibus eroſis, ſanguinis diſſolutione, proclivitate ad haemorrhagias aliisque indiciis conſpicua, praeſertim inter plebeios pravo victu utentes & immunditie foedos, cum ſcrofuloſo vitio complicatur.

In vallibus altis montibus circumſeptis ventis acceſſus non datur, ſtagnat hinc ibidem aer, craſſus, nebuloſus evadit, iuſtum ſolidorum elaterem infringit & tranſpirationem impedit. — Aer in montibus noctu frigidus ſtrumarum generationi favere creditur. — Singularis eſt obſervatio BORDEVII **), in quibusdam vallibus medio flumine diremtis unius lateris incolas borea expoſitos ſtrumoſos fieri, cum e contra immunes ab hoc malo maneant, qui alterum inhabitant latus, utpote meridiem verſus & orientem ſitum, quamvis utrique eodem victu & vitae genere utantur. Haec obſervatio, cuius fides penes Auctorem ſit, licet non tam ad ſcrofulas, quam potius ad ſtrumas endemias pertineat, miram tamen frigidi aeris reſpectu tumorum glanduloſorum potentiam luculenter commonſtrat.

At

*) Prix de l'ac. de chir. l. c. p. 72.

At vero ſi humidus & frigidus aer generationi ſcrofularum praecipue favet, cur eaedem quoque in regionibus calidioribus occurrunt? Sic in Gallia, quae certe inter regiones Europae calidiores pertinet, copioſiſſimae ſunt ſcrofulae. Eaedem in Hiſpania fere endemiae. Ex LAURENTII *) relatione ſingulis annis plus quam quingenti ex Hiſpania ad Galliae regem acceſſere, ſanitatis remedium expoſcentes. Et Hiſpaniae clima fere fervidum eſſe, quem fugit?

Quidquid horum ſit, frigidioris humidique aeris ad ſcrofuloſam cachexiam inducendam poteſtas firmo tamen nititur talo. Aliae quippe numeroſae potentiae morbificae tanta vi pollent, ut etiam abſque concurrente prava aeris conſtitutione evolutioni vitii ſcrofuloſi pares ſint. Huc pertinet inprimis victus pauperculorum ſupra deſcriptus, immundities, quam apud Hiſpanos inſignem eſſe conſtat, torpiditas aliaque in progreſſu tractationis notanda. Dn. FAURE **) a ſola pigritia & immunditie ſcrofulas Hiſpanorum derivat. GOURSAUD †) eas putat morbum venereum eſſe, quem in Hiſpania benignam admodum indolem monſtrare ait. Denique PAULUS LE ROY ††) Hiſpanorum ſtrumas a viru ſcorbutico deducit, qui tamen audiendus non eſt, quum innumeros & diverſiſſimos morbos a ſcorbuto inepte ſatis derivet. Quatenus illae ſententiae verae ſint, definire ne-

*) de mir. ſtrum. curat. L. II. Cap. XI. p. 208.

**) Prix de l'ac. de chir. l. c. p. 33.

†) ibid. p. 296.

††) Theſ. an a diverſa virus ſcorbutici indole ac ſede morbi diverſi? reſp. *Miſſa*, Pariſ. 1754. p. 4.

nequeo, cum ſpeciales de Hiſpanorum ſcrofulis narrationes non ad manus ſint. Interim ex dictis ſatis apparet, ſufficientes praeter aerem cauſas iſtarum ſcrofularum ſuppetere.

Nec negligenda eſt viciſſitudo aeris. In quocunque aere, calidiſſimus ſit, ſive gelidiſſimus, ſana poſſunt vivere animantia; & quodammodo veram iudico WHITII *) animadverſionem, tum in fervidis, tum in gelidiſſimis regionibus raras eſſe ſcrofulas. Viciſſitudinem vero aeris, praeſertim calidi in frigidum & humidum repentinam permutationem aegerrime ferunt homines. Ubi itaque noctes frigidae fervidiores dies excipiunt, vel coeli temperies frigido-humida cum calidiori alternat, ibi omnino ſcrofulas ab humido frigore promoveri ſumi poteſt, licet calidiores ceterum ſint regiones.

Dn. BORDEU **) in altis ac montoſis maiorem aëri acidi copiam inhaerere, quam in humilioribus locis, aſſerit; indeque & cauſam illic magis, quam hic frequentium ſtrumarum repetit. At vero acidum aereum quondam adeo clamatum exiguum valde aut nullum eſſe, hodie conſtat, niſi fixum ſic dictum aerem, vulgari admiſtum ita nominare placeat, quem tamen in altis locis copioſiorem eſſe, nullo modo ſumi poteſt. Praeterea in Helvetia pleraeque ſtrumae occurrunt in locis planis, non in montoſis †). Haec tamen in tranſitu ſolum dicta ſint, cum ad glandulae thyroideae endemios tumores pertineant.

Cl.

*) l. c. p. 19.
**) l. c. p. 56.
†) ZIMMERMANN l. c. p. 547.

Cl. WHITE*) occaſionalibus ſcrofularum cauſis annumerat permutationem vitae ruralis cum urbana, ipſamque habitaculi in rure, nec non vitae generis mutationem.

Licet coelum ſalubrius contigerit regioni, aer tamen inſigniter ſaepe in tabernaculis hominum corruptus obſervatur. Hoc inprimis pertinet ad plebeios & ruricolas, hyemis praeſertim tempore. Cogitemus hypocauſtum minus ſpatioſum integram familiam cum pluribus infantibus recipere, praeterea ſaepius animalia varia, porcellos, gallos gallinaceos, aliaque concludere, inſuper pro culina eſſe & coquendis tum hominum cibis tum animalium domeſticorum pabulis inſervire; cogitemus denique, ſummam immunditiem accedere nec renovari ſatis aerem, ſed diu ſaepe immutatum in tabernaculo perſiſtere. Anne talis aer, quem tot effluviorum & exhalationum genera conjunctis viribus peſtiferum reddunt, noxam inſignem inferet infantibus? Cumulus malorum ex eo accedit, quod tuguriorum parietes ex luto plerumque ſint confecti, ſaepe ne calce quidem obducto. Talis enim materies, cum humiditatem aeris attrahat diuque retineat, ſemper humida eſt, aeremque viciſſim tabernaculorum inquinat, humidum, vappidum reddit. Tuguria ita comparata & in quibus talis oeconomia obſervatur intrans & pueros reperiens, hos velim examines, in pleriſque luculenta cachexiae ſcrofuloſae ſigna te deprehenſurum, certo equidem polliceor. — Similes ob cauſas infantes in orphanotropheis nec non in noſocomiis & inprimis in aedibus lanae tra-

*) l. c. p. 27.

tractandae & fabricandae dicatis habitantes & humido craſſoque aere utentes facile ſcrofuloſi fiunt *). — Neque hoc loco reticenda habitatio in cellis.

Quaecunque cutim ita afficiunt, ut materies per eam ſecundum naturam excernenda retineatur, vel acrimonia ad cutim depoſita reprimatur, vel denique variae impuritates in humorum maſſam reſorbeantur, dyſcraſiae ſcrofuloſae favent; inprimis cum aliae quoque ſecretiones inde conturbentur, & digeſtio ob conſenſum, quae cutem & ventriculum intercedit, depravetur. Huc vero pertinet potiſſimum *immunditiés*, quam in infima hominum claſſe inſignem & vix evitandam deprehendimus. Cubile humidum urina ſaepe madefactum nec reſiccatum, accedente ſtramine mucore infecto, peſſime afficit infantes. Eosdem ſellis perforatis, nudato inferius corpore diu ſaepe inhaerere ſinunt matres, res interea domeſticas agentes, & ab excrementorum halitu foediſſime allui. Inde a primis incunabulis non ſatis mundantur tenelli, ob linteaminum fere defectum, quibus foece & urina conſpurcatis madidisque per multas ſaepe horas includuntur. Ab induſiorum rara mutatione transſpirationi impedimentum corporique inſignis languor conciliatur. Crebriorem capitis mundationem perquam neceſſariam infantibus plebeii negligunt, unde pediculorum generationi, ſcabiei capitis illiusque pediſſequis ſcrofulis via ſternitur. Notanda demum veſtimentorum in genere varietas apud pauperes prorſus fere exulans, cum unum idemque veſtimentum quotidie

*) BERTRANDI l, c, p. 356.

tidie corpori indutum ſenſim materia tranſpirabili aliisque ſordibus inquinetur & maxime ſanitati officiat. — Sordities quoque ex potioribus cauſis eſſe videtur, propter quas pauperum Iudaeorum ſoboles tam frequenter ſcrofuloſa eſt.

§ 54.

Excreta & Retenta.

Inter ſe & excretionem urinae huiusque qualitatem & cacochymiam ſcrofuloſam multus eſſe videtur nexus. Primo enim plurima ex optimis remediis antiſcrofuloſis diuretica ſunt & diureſi inprimis effectum ſuum praeſtant. Cruſtae lacteae, morbi ſcrofulis affinis, ſpecificum, viola tricolor, largiori excretione male olentis urinae concitata efficax ſe praebet. — Intertriginem in omnibus quidem infantibus, praecipue circa genitalia fieri, ſi cutis ab urina madefit, tenellique diu conſpurcatis faſciis incluſi manent, me non fugit. Attamen obſervaverim, quosdam infantes ad intertriginem prae aliis inclinare, eamque, crebra licet obſervata mundatione in his omnino caveri non poſſe, talesque cum affectibus ſcrofuloſis poſtea multum conflictari. Videtur iam in tenello corpore acrimonia evolvi, quae variis viis excretoriis exitum quaerit, lotiumque praeſertim contaminat, & hoc acrius atque ad genitalia femoraque excorianda aptius reddit. Tunc quoque in aliis corporis partibus intertrigo oritur, acrimoniam qualemcunque humoribus inhaerere denotans, v. c. pone aures, quam & ſcabiei capitis in infantibus plerumque iungi conſtat. Minime hinc ſemper ſolis externis remediis tractanda eſt intertrigo, ſed talia, praeſertim ſaturnina repel-

 lentia

lentia inſignem quandoque noxam inferre poſſunt. Potius, ſi internam ſubolfacimus acrimoniam, laxantia & diuretica leniora v. c. infuſum violae tricoloris in uſum vocanda, antequam ad externa accedamus.

Sed ad lotium redeamus. Illud generatim in infantibus, licet ſaniſſimis, craſſiora & excrementitia multa e corpore eliminat. Recte HARRIS *), *Urinae puerorum*, inquit, *ſanitate recta gaudentium ſunt craſſiſſimae*, (quod iam notavit GALENUS **)) *ut ſi inſpiciat curioſus quiſpiam huius rei neſcius, affectum quempiam graviorem ſubolebit, cum interim valetudine iam fruantur ſecundiſſima.* Hinc certe non mirum, ab urinis haud ſufficienti quantitate redditis in infantibus varia pathemata creari, v. c. ſymptomata catarrhalia †), dolores rheumaticos cum tuſſi, febre & vomitu pituitoſo ††), & ſ. p. Scrofularum quoque generationi inſigniter patrocinari urinam ab infantibus debito modo non excretam perſuadeor, cum retenta in corpore acrimonia urinoſa lympham non poſſit non inquinare. Sequenti utplurimum ratione diureſis in pueris plus iuſto imminuitur. Illi guloſi & voraces, eo quidem magis, ſi ſcrofuloſa diatheſi iam laborant, abdomen ſibi diſtentum contrahunt, quod vix non ſemper urinae ſe- & excretionem difficulter procedentem comitem habet. Hinc & ſtatim poſt paſtum

---

*) de morb. infantum, p. m. 4.

**) Comment. in Text. 6. L. III. epid.

†) L. MERCATUS de morb. pueror. Cap. 8. STAHLII prax. med. edit. PELARGI, p. 1192. LENTIN Obſ. med. Faſc. II. p. 55.

††) RIVERII Opp. p. m. 483.

paſtum largiorem quilibet homo plerumque parum tenuis ac pellucidi lotii non niſi cum difficultate emittit, & tympanitidi adſociat ſeſe dyſuria vel adeo iſchuria. Organa uropoea in hiſce caſibus comprimi videntur vel irritatione conſtringi, accedente reſpirationis, quae praecipuam fere vim urinae expultricem exſerere debet, ob diaphragma ſurſum truſum difficultate. Infantes igitur, quorum imus venter diſtentus urinam ſaepe mingunt parcam, claram & aquoſam (licet in aliis caſibus albidam chyloſam) craſſioribus acrioribusque cum ipſa eliminandis particulis deſtitutam, quae hinc in corpore reſtitantes detrimentum ſanitati afferunt.

Perſpiratione cutanea *impedita* ab aere frigido humidoque aliisve cauſis multa acrimonia in corpore remanet, & colluvies ſeroſa ſenſim accumulatur; hacque ratione cachexiae ſcrofuloſae origo facilitatur. Non vero inter cauſas ſolum ſed quoque inter ſymptomata ſcrofularum eſt tranſpirationis ſuppreſſio, tunc quidem a virium vitalium languore & ſaburra abdomen, cuius cum cute magna conſpiratio eſt, obruente, derivanda; & morbum viciſſim augens.

Refrigerio ad ſcrofuloſos affectus producendos multa poteſtas eſt. Plures mihi occurrerunt tumoribus & ulceribus ſcrofuloſis, cum ophthalmia &c. laborantes, qui primam morbi originem inde a gravi refrigerio repetebant eumque pro catarrhali affectu (*Flüſſe*) habebant; iuvenis 18 annorum v. g. quem nuper videbam, accuſabat grave refrigerium, quod lapſus in fluvium hyemali tempore attulerat; fratres tamen ſimili malo tentati diſpoſitionem in corpore iam adfuiſſe, ſatis

oſtendebant. UNZERUS *) refrigerium inter praecipuas ſcrofularum cauſas ponit. (cf. §. 44.) Refrigerium, ex obſervatione F. HOFFMANNI **), poſt vehementem corporis excaleſcentiam admiſſum, in puero produxit dyſphagiam glandulosam oeſophagi tabem lethumque afferentem. IDEM †) cauſas atrophiae infantum exponens ait: „Nil vero, ut frequenti habemus experientia, magis nocet, quam ſi infantes calefacti & ſudore madidi noctu frigidum potum ſaepius accipiunt: vel a ſomno in lecto calentes in frigidiorem auram transferuntur.“ — Infarctus glandularum meſentericarum inſigniter facilitatur, ſi abdomen infantum guloſorum non ſatis cuſtoditur, ſed refrigerio exponitur digeſtionis & chylificationis tempore.

Ruricolae plures regulam illam diaeteticam, quae frigus capiti, calorem fotumque pedibus maxime convenire praecipit, negligentes, pueris ſuis caput calidioribus laneisque tegminibus ſollicite involvunt atque cuſtodiunt, pedibus vero nudis illos in aere libero diſcurrere ſinunt. Hic abuſus propter humorum ad caput congeſtiones a pedum refrigerio contingentes glandularum colli infarctum & ſcabiei capitis ortum promovere videtur.

CHÜDENIUS ††) potiorem atrophiae cauſam quaerere non dubitat in pororum cutis occluſione a ma-

---

*) *Med. Handbuch*, p. 232.

**) Conſult. & reſponſ. med. T. I. p. 349.

†) Supplem. ad med. ſyſtem. p. 53.

††) Diſſ. de methodo praeſervandi & curandi atrophiam infantum.

materia tenaci & viſcida, perſpirationem impediente. In utero quippe tranſſpirationem cohiberi, indeque in poris cutaneis mucoſam viſcidamque materiam colligi, quae, niſi infantes bene laventur & a ſordibus mundentur, illos in tabem coniiciat. Licet vero hanc praecipuam & immediatam cauſam cum CHüDENIO arguere nimium certe ſit, non tamen negandum, illam plurimum ad inducendam atrophiam conferre poſſe, quare etiam balnea tepida, cutim mundantia & extergentia multi ad medelam uſus ſunt.

Meconium copioſius prima iam in utero infarctuum rudimenta ſaepe conſtituere, docet KAEMPF *). — Quantum alvus obſtructa ſanitati infantum officiat, conſtat inter omnes. Sed aeque nocet protracta diarrhoea primas vias debilitans & colluviei dein ingenerandae anſam dans.

WARTHON **) ait: „Iuvenes coelibes ſaepe ſtrumoſi fiunt, poſtea vero uxore ducta nonnunquam ſponte curantur: nempe materia olim ad ſtrumas fluens ad alias iam partes divertitur.“ Dn. FAURE †) adeo ſcrofulas in pueris ab impedita ſpermatis excretione oriri exiſtimat, quippe quod octavo iam anno ſecernatur, nec ante decimum quartum excernatur ††). Cui tamen hypotheſi

*) l. c. p. 101. ſq.
**) Adenogr. p. 247.
†) Prix de l'ac. de chir. l. c. p. 34.
††) Simili fere modo SEVERINUS (de paedarthroc. Cap. 13.) paedarthrocacen ex primis ſpermatis & menſtrui ſanguinis inquinamentis non repurgatis in articulos per congeſtum illapſis & computrefactis deducit.

theſi vix quemquam credo aſſenſum eſſe praebiturum. Morbum pubertatis tempore minui vel prorſus ceſſare obſervatur omnino, quod vero vix a ſeminis excretione, ſed potius ab aucto totius corporis robore repetendum. RUSSELL *) autumat, reſorbtionem ſecreti ſeminis & permiſtionem cum ſanguine pubertatis tempore ſcrofulas mitiores reddere. — Pueros Onanitico vitio indulgentes ſaepe glandulis meſenterii infarctis vel ſcrofulis laborare, alibi notavimus; & viciſſim venus ſolitaria in iunioribus ſcrofuloſorum affectuum ortum facilitat.

Glandularum, praeſertim parotidum tumores experiuntur, obſervante HOFFMANNO **), infantes, pueri & adoleſcentes ſucculentiores, qui *coryza* vel *narium haemorrhagia* non amplius tentantur.

Quodſi materies ſcrofuloſa variis deſtillationibus, fluxionibus, cutaneis ulcerationibus, eruptionibus exitum e corpore quaeſiverit, talesque morbi externi a ſuperficie corporis incaute ad interiora reprimantur, tumores glandularum extemplo oriri, vel iam praeſentes numero aut magnitudine augeri, peſſimosque omnis generis morbos externos concitari poſſe, experientia docet. Huc refero repulſos achores, favum, tineam, cruſtam lacteam repreſſam, exſiccatam intertriginem ab acrimonia interna natam, inprimis auricularem, herpetes, ſcabiem ſcrofuloſam, fluxus aurium cohibitos & ſ. p. Quorſum etiam pertinet ulcerum ſcrofuloſorum incauta occluſio, nec non tumorum glan-

*) Oeconom. nat. in morb. gland.

**) Med. ſyſt. T. IV. P. V. p. 273.

glandularium externorum diſcuſſio per repellentia facta absque interna ſimul in uſum vocata medela; quoniam tunc facile materies in nobiliorum viſcerum glandulas deponitur morbosque diuturnos, praeſertim tabidos producit. *Permulti proſtant caſus*, ait F. HOFFMANN *): *iuvenes* 15 *vel* 18 *annos natos ex tumoribus glandularum pone aures & in collo ſitarum, externis remediis repreſſis aut imminutis, in diuturnam tuſſim ad becticos incidiſſe calores;* huiusque generis exemplum narrat, ſubiungens dein: *Exinde vero mihi videtur ſimillimum, quod, ſicuti hi tumores duri externas corporis glandulas obſidere deprehenduntur, illi quoque externas partes, maxime pulmones occupare poſſint.*

Sed haec ſufficiant hoc loco de excretis & retentis, qua cauſis ſcrofularum. Plura paſſim in recenſione ſcrofularum ſpuriarum adduximus.

§. 55.

Aliae quaedam cauſae occaſionales.

Peſſimi ſunt *affectuum animi* deprimentium, triſtitiae inprimis & protracti moeroris in corpus humanum effectus. Vis nervea elangueſcit, partium tonus fatiſcit, motus vitales imminuuntur; unde circulatio humorum tarda, lenta, impedita, viſcerum abdominalium functiones conturbatae, depravatae, inviſcatio humorum, coctionis & nutritionis defectus, omnis generis obſtructiones. Tales animi affectus deprimentes ſcrofularum ortui promovendo quoque pares eſſe, tum experientia

*) Conſult. & Reſp. med. T. I. p. 348.

tia confirmat *), tum ſuadet analogia ſcirrhi. Quoties protractus moeror in mulierculis praecipua cauſa eſt ſcirrhi mammarum atque carcinomatis; quotiesque terror ſubitaneus extemplo duros mammarum nodos excitavit!

Sed haecce animi pathemata maxime deleteriam vim exſerunt, ſi ab infantibus & pueris concipiuntur. In hos enim plane non quadrant, cum iunioribus ad corporis incrementum rite promovendum, debitumque illi vigorem conciliandum natura dederit animum hilarem, vividum, iucundum, ab omni triſtitia alienum. Et nihilominus ſeverior ſanaeque rationi contraria educatio eo haud raro adigit infantes, ut moerore excrucientur, acerbo ſaepe magis, quam quis crederet. Cogitemus pueros, qui per totum fere diem in ſcholis ſedere coguntur, ad vocabula aliaque memoriae imprimenda adſtringuntur, multiplici terriculamentorum apparatu a magiſtris in perpetuo quaſi metu detinentur. An quidquam pernicioſius & ad tenellorum ſalutem peſſumdandam accommodatius poteſt excogitari? Concurrunt hic potentiae nocentes plures, — vitiatus in ſcholarum tabernaculis a multitudine hominum aer, — exercitationes mentis pro ratione puerilis corporis immodicae, — metus, moeror, triſtitia, — pernecesſarii corporis motus & exercitationis defectus. Plurimi dantur parentes, qui puerulos, ne huc illuc diſcurrant & vagentur, & periculis ſeſe exponant, maleſano beneficio ad ſcholas mittunt, ibidemque illos per totum diem ſub ſevera praecepto-

*) H. MERCURIALIS de morb. pueror. L. I. Cap. 5. LIEUTAUD Hiſt. anat. med. P. I. obſ. 546.

ceptorum inſpectione perſeverare ſinunt. Quales quidem abuſus triſtem animis infantum characterem inprimere & tum ad innumerorum morborum ſeminia corpori implantanda, tum praecipue ad diatheſin ſcrofuloſam ingenerandam valde efficaces eſſe, experientia ſat crebra convincimur.

Protractior ſomnus, licet omnino naturae infantum conveniat, nimis tamen protractus nocet inſigniter, humorum motum languidum reddit, corporis vigorem minuit, humores ſeroſo-mucoſos coacervat, hinc chronicis affectibus, inprimis quoque glandularum infarctibus ſat facilis paratur via. Maxime nocet ſomnus nimius, ſi in lecto ſordido, madido, vel in cubiculo, quod vitiatus aer replet, capitur. Neque minus taxandus ſomnus, ſtatim poſt paſtum praeſertim largiorem captus, qui, experientia docente & recte animadvertente ſchola Salernitana, in pleriſque hominibus, febrem, ſegnitiem, capitis dolorem atque catarrhum producit, quidquid nonnulli eius ſalubritatem celebrent. — Cl. WHITE *) inter vitia circa educationem infantum phyſicam commiſſa, ſcrofulis faventia, inprimis quoque urget omnia artificia, quae ſomnum arceſſunt, videlicet agitationem in cunis, cantilenam, & praeſertim opiata. Detaſtandus utique eſt quarundam mulierculam mos, quae tenellis Maſſ. pil. de Cynogloſſo vel Elect. req. Nicolai vel ſimile ſoporiferum exhibent, quo ſomno ſepeliantur nec ipſis oneri aut impedimento ſint.

Vita deſes & ſedentaria, praeſertim ſi guloſitas & pravus victus accedunt, ſcrofuloſis plurimum favet

*) l. c. p. 23.

favet morbis. Iam a primis incunabulis ſaepe circa hanc rem peccatur, dum in cunis ſellisque nimium quieſcere ſinunt infantes. Pueri aliquot iam annos nati ad vitam ſedentariam in ſcholis coguntur, ſimilemque ad gerendam adiguntur puellae, quo opuſcula muliebria, fila ex lino trahere, veſtimenta conſuere & id genus plura ediſcant. — Etiam motum corporis pueri perverſo utplurimum modo inſtituunt. Poſt paſtum quippe ſtatim corpus vehementer exercent; cuius erroris diaetetici damna in vulgus nota ſunt.

Dolores in abdomine inſignes diuque durantes vel ſaepe recurrentes ad viſcerum infarctus ingenerandos perquam efficaces ſunt, atoniam & conſtrictiones vaſorum excitando, ſymbolum quoque afferente vario praeternaturali corporis ſitu, quem aegroti doloribus excruciati ſuſcipere coguntur. KAEMPFIUS *) in iuvene lithiaſi laborante poſt mortem creberrimos & duriſſimos meſenterii tumores detexit.

Notari adhuc poſſent, praeter iam dictos, plurimi abuſus circa educationem liberorum medicam, qui ſcrofulis patrocinantur. Sed brevitati ſtudentes in ſequentibus acquieſcimus. Debile & omnis generis aegritudinibus obnoxium corpuſculum evadit crebro fotu pone ignem, veſtimentis craſſis, laneis, calorem foventibus, culcitris plumeis, calida balneatione frequente, unctionum relaxantium abuſu, cubiculi calore, ſollicita ab omni aere liberiori prohibitione, qua efficitur, ut dein vel minima aura incaute admiſſa infans catarrho corripiatur &c. — Noxia multiplici

*) l. c. p. 70.

plici nomine *) eſt encheireſis, qua infantibus diu noctuque linteum in papillae quandam formam coactum praebetur, cui panis maſticato ſaccharo remixtus aliisque dulcibus & aceſcentibus incluſus eſt; quin atrophiae, poſtea ſaepe lethalis fomes inde accendi & diſpoſitio ad convulſiones ingenerari dicitur **). — Nec reticenda faſciatio corporis nimis adſtricta, abdomen comprimens, liberiores artuum motus impediens viſcerumque conturbans functiones. Huc etiam pertinet thoracum ſtrictiorum anguſtorumque uſus, nec non incongrua in brachiis geſtatio, ita nempe inſtituta, ut abdomen infantis ſemper compreſſum ſit.

Quid de CONTAGIO ſcroſularum ſentiendum ſit, alibi (§. 37.) iam expoſuimus.

Quo plures potentiarum morbificarum iam (§. 50-55.) enumeratarum ſimul affligunt, eo certior ſcroſularum ortus, quae hinc plebeiis quam melioris conditionis hominibus frequentiores exiſtunt.

Sed an revera recenſitae cauſae occaſionales tanti momenti ſunt? Videmus innumeros, qui eas admittunt, ſcroſulis nunquam infeſtatos, alios e contra, qui ſollicite eas cavent, nihilominus malo affectos. Sic etiam CULLENUS †) contra rhachitidis cauſas occaſionales varia monet; ZEVIANUM nempe minus recte rhachitidis originem in acido ex lacte, quo primis menſibus infantes nutriuntur, evoluto, quaerere, cum omnes infan-

---

*) Cl. MüLLER *Handbuch der Frauenzimmerkrankheiten*, T. I. 1788. p. 41. 42.

**) Commentar. Lipſ. Vol. XXVII, p. 237.

†) l. c. §. 1661.

infantes lacte alantur, pauci rhachitide infeſtentur, ſaepiusque tenelli occurrant ab acido plurimum excruciati, a dicto morbo tamen liberi. Farinaceis porro non fermentatis ubivis veſci infantes, nec tamen niſi paucos rhachiticos fieri; & ita quoque cum ceteris cauſis comparatum eſſe.

Verum enim vero duplex cauſarum genus in quolibet morbo attendendum eſt, praediſponens & procatarcticum. Pluries innuimus, in ſcrofulis, praeſertim proprie dictis, vix non ſemper diſpoſitionem haereditariam ſubeſſe. Cuius quidem diatheſeos evolutio a potentiis nocentibus omnino iuvatur, quibus ſollicite evitatis homines, licet diſpoſiti, morbum effugere poſſunt. Ceterum affectuum ſcrofuloſorum, inprimis ſcrofulae meſentericae, inter plebem inſignis frequentia occaſionalium cauſarum vim luculenter commonſtrat.

SECTIO

SECTIO IV.
Prognoſin ſcrofularum exhibens.

§. 56.
Morbum ſcrofuloſum non levem, ſed gravem & periculoſum ſaepe eſſe oſtenditur.

Recte HIPPOCRATES *) choerades inter peſſimos colli morbos refert. Namque primum malo ad aliquam magnitudinem provecto inſignis medendi difficultas exiſtit, quam probe iam norant veteres & quotidiana experientia ad hunc usque diem confirmat. CELSUS **) *ſtrumae vel praecipue medicos fatigare ſolent*, ait: *quoniam & febres movent, nec unquam facile matureſcunt. Et, ſive ferro ſive medicamentis curentur, plerumque iterum circa cicatrices ipſas reſurgunt, multoque poſt medicamento eſt opus. Quibus quoque id accedit, quod largo ſpatio detinent.*

Strumas omnes magno negotio tolli, LOMM. Fatigare eas chirurgos & aegros, quoniam non facile ſuppurentur nec diſcutiantur, in ſcirrhum ſaepe exquiſitum degenerent & in ulcera cacoëthea, quin cancroſa haud raro deſinant, DOLAEUS †). Strumas curatu admodum difficiles vel

*) L. de glandulis

**) L. V. Cap 28. 6. 7.

†) Encyclop. chir. p. 614.

vel adeo impoſſibiles eſſe, concludit NICOL. FONTANUS *), tum originem earum in viſceribus conſiderans, tum quod levioribus remediis non cedant, fortioribus ſaepe exaſperentur. Strumas curatu difficillimas eſſe, cum neque digeſtione neque ſuppuratione exoleſcant, exſectio vero uſtiove periculoſiſſima ſit, HUCHERUS **). Sed plures adducere teſtes ſuperſedeo, cum ſcrofularum difficilem medelam omnes ab omni aevo Auctores agnoſcant. Et hodie adhuc querelae de refractaria affectuum ſcrofuloſorum indole in omnium reſonant ore.

Ingens praeterea remediorum tam antiquitus, quam recentiori aevo ad ſcrofulas laudatorum farrago, rebellem earum naturam ſatis commonſtrat. Et vix ullam ſpem eſſe ſpecifici adverſus morbum noſtrum remedii reperiendi, alibi monſtrabo.

Maius adhuc malo momentum accedit ab ingenti aegritudinum ſecundariarum agmine, quod poſt ſe trahere vel ſibi adiungere ſaepius obſervatur. Et illae quidem duplicis fere indolis ſunt. *Vel* enim a vitio ſcrofuloſo has illasve corporis partes, inprimis nobiliora viſcera, irruente & male mulctante proficiſcuntur; *vel* tumores ſolo mechanico effectu, preſſione, ſitu, mole, copia, humorum motum perturbant & in functiones partium, quas occupant, pravos exſerunt effectus. Quod ad prius illud morborum genus attinet, tam numeroſam eorum cohortem vitium ſcrofuloſum ſecundario modo producit, ut vix ulla cachexia pathologis innoteſcat, quae uberiorem malorum

*) Reſponſ. & curat. L. I. p. 66.

**) de ſterilit. diaeta & therap. pueror. p. 834.

rum praebeat fontem; recteque SAUVAGES pronunciat, ſtrumas ſ. tubercula colli eſſe exiguam partem totius morbi ſcrofulae dicti. Nullum fere morborum chronicorum genus exiſtit, quod a ſcrofuloſa cauſa ortum traxiſſe non obſervatum fuerit aliquando. Morbi tabidi, atrophici, phthiſici, hectici, oſſium, articulorum, oculorum mala, affectus cutanei, hydrops varius, ulcera & ſ. p. — omnia frequentem ſatis cachexiae ſcrofuloſae progeniem conſtituunt & in tertia opuſculi noſtri parte ſpecialiori ſermone illuſtrabuntur.

Alterum vero malorum genus a mechanico & locali tumorum effectu oriundum hoc loco in exemplis quibusdam monſtrare congruum videtur.

Si praeter glandularum conglobatarum tumeſcentiam adhuc tumores cyſtici, qui ad inſignem ſaepe magnitudinem perveniunt, in collo adſunt, vel, quod tamen ex ſcrofuloſa dyſcraſia rarius fit, glandula thyroidea ſimul tumefacta eſt, tunc formae pulchritudo plurimum imminuitur, veluti & foedae cicatrices, quas exulceratae ſcrofulae per totam vitam relinquunt, pulchritudini quam maxime obſunt. Semper collum numeroſa tumorum ſerie obſeſſum ingrata ſenſatione afficitur eiusque motus liberior & gyratorius impeditur. HILDANUS *) collum tot tumoribus obſeſſum vidit, ut eius circumferentia ad ſpithamas quatuor ſe extenderet. A tumoribus colli, praeſertim uno maiori collum contortum & dextri lateris paralyſis nata **). Ex eadem cauſa caput obſtipum quando-

*) Cent. III. obſ. 85.
**) DE HAEN Rat. med. P. 3. p. 215.

que ſit *), licet obſtipitas interdum metaſtaſi potius acrimoniae ſit tribuenda. Sic obſtipum caput ab induratione & abbreviatione muſculi ſterno-maſtoidei vidi in puella manifeſte ſcrofuloſa.

Neque minus maſticatio a magna ſcrofularum in collo copia moleſtari poteſt **); vel deglutitio impediri. Sic NIC. FONTANUS ***) habet exemplum iuvenis, cuius gulam aſperamque arteriam ſimul adeo compreſſerant ſtrumae, ut neque potus vel ipſe aer tranſire poſſet. Diſſecto cadavere reperiebantur ſimiles tumores in orificio ſtomachi, pulmonibus, omento, meſenterio, pancreate, ipſis inteſtinis & circa veſicae collum. HILDANUS †) cuiusdam paſtoris meminit, qui longo tempore ſtruma intrinſecus in collo laboravit, cui, ut ille inquit, catarrhus acceſſit, & ad exulcerationem pervenit, ita ut non amplius victu uti potuerit, ſed miſerae morti fuerit traditus. Etiam RIEDLINUS ††) deglutitionem a ſtrumoſis tumoribus impeditam notat. Reſpirationis atque deglutitionis inſignem difficultatem propter tuberculum durum nucis moſchatae magnitudine a latere pomi Adami in collo profundius haerens poſt ſubitaneum terrorem ſubortum obſervavit ABR. VATER †††). Huc quoque pertinet dysphagia a glan-

*) HALLERI progr. de morbis colli, §. VIII. THEDEN *neue Bemerkungen* I. p. 166.

**) RENARD Eſſay ſur les ecrouelles, p. 41.

***) l. c.

†) l. c. obſ. 34.

††) Linn. med. ann. 4. Angl. obſ. 15. p. 670.

†††) Diſſ. de deglutit. difficilis & impeditae cauſis abditis. Vitemb. 1750. Hiſt. IV. Aliud exemplum habet *Tulpius*, L. I. c. 44.

glandulis ſic dictis dorſalibus Veſalianis externe gulae appoſitis tumentibus & oeſophagum comprimentibus. Sic a talis glandulae tumore ac ſcirrhoſitate patientem prae inedia miſere obiiſſe vidit VERHEYEN *), coalitaque reperit oeſophagi latera ob vehementem compreſſionem. Similem caſum habet MANGETUS **) alium, in quo glandula oeſophagum comprimens ad ovi gallinacei magnitudinem aucta erat, HEISTERUS ***). Neque ullum dubium in dysphagia glanduloſa oeſophagi haud raro ſcrofuloſam ſubeſſe cauſam, cum in talibus aegrotis quandoque obſervata fuerint manifeſta cachexiae ſcrofuloſae indicia. Cl. GESNER †) refert de puero, cui variolis & morbillis feliciter ſuperatis circa finem anni 14 parotis dextra nec non aliae circa collum & pone aures glandulae tumebant. His accedebat in deglutitione boli & hauſtus magni ſenſatio moleſta, quam pariter ut & tumores per 5 annos habuerat. Tum lentam aliquando ibi animadvertit preſſionem, quem ſecutus ronchus cum eiectione muci atri vel gryſei puerum paulatim ſanitati reſtituens ††). Cl. I. P. HAGEN †††) puerum atrophi-

---

*) Anatom. Cap. de Oeſophago.

**) Theatr. anat. Genev. 1716. L. 2. p. 251.

***) Compend. Anat. P. II. p. m. 27.

†) *Schwaben zur Arzneygel.* &c. T. I. p. 156.

††) Cf. & B. D. MAUCHART diſſ. de ſtruma oeſophagi eiusque coalitu, Tubing. 1742; nec non nuperos Belgas de dysphagia oeſophagea in univerſum Auctores, Cll. NAHUYS, VAN GEUNS, BLEULAND &c.

†††) *Wahrnehmungen zum Behuf der Wundarzn.* Mietau 1772.

phicum plurimis glandularum induratis tumidisque conſpicuum narrat, cui praeter alia ſymptomata deglutitio etiam difficilis.

Suffocationem ſtrumas comprimendo aſperam arteriam induxiſſe, plura apud Obſervatores exempla exſtant *). Sed hoc potiſſimum ad glandulae thyroideae tumores maiores pertinet, qui raro in ſcrofuloſis cernuntur. Cum interim ex ſcrofuloſa quoque cauſa iugulum tumere poſſit; praeterea cyſtici tumores in collo profundius ſiti vel mole ſua prementes ſuffocare hominem queant, quin amygdalae, docente MORLEY, in morbo ſcrofuloſo cum ſuffocationis metu quandoque tumeſcant, illud hoc loco praetereundum non erat. — Neque minus tumores in collo maiores iugulares venas comprimendo apoplecticam poſſunt inducere mortem. KLEINIUS **) ait: „Si tumores ſtrumoſi occupant loca iuguli circa vaſa, facile homo per apoplexiam mori poteſt, vel naſcitur hydrocephalus internus." Colli tumores cruorem in encephalo accumulando vertigines procreare ***), ipſamque apoplexiam †) inducere poſſe, exempla docent. Puellam octennem a tumore in cavo pectoris orto venamque cavam ſuperiorem comprimente apoplecticam periiſſe legimus ††).

Qui-

*) vid. e. g. TULPIUS L. I. cap. 46. LIEUTAUD Hiſt. de l'acad. des ſcienc. année 1754. p. 70. E. RONSTORFF (LEIDENFROST) diſſ. de aſthmate. Duisb. 1785. § 39.

**) Interpr. clin. p. 262.

***) VAN SWIETEN Comment. T. III. p. 273.

†) PLATERI obſ. L. I. p. 175. Diſſ. mea de apopl. nervoſa, p. 12.

††) LA MOTTE Traité complet de chir. T. II. p. 186.

Quibus ex quacunque cauſa glandulae axillares tument, anhelant *), quod ex communicatione vaſorum nervorumque explicandum. Nervorum phrenicorum compreſſio a ſcrofuloſis colli tumoribus dyſpnoeam ſemiparalyticam (ab infirmato diaphragmate) facere poteſt **).

Ab obſtructis glandulis inguinalibus oedema pedum quandoque oritur ***), veluti & glandula axillari indurata & tumida brachium totum ſaepe oedematoſum reddit, preſſu in vaſa ſanguifera, forſan etiam in lymphatica, licet CULLENO ****) hoc ab copioſas lymphaticorum ramificationes & anaſtomoſes haud veriſimile videatur. Omnis generis hydropes magnam ſaepe partem a glandularum lymphaticarum obſtructione proficiſcuntur. Scrofuloſi pueri, ait SAUVAGES †): in noſocomiis morbis multis inſanabilibus ſunt obnoxii, ut aſciti, diarrhoeis, hecticae; & QUARINO ††) teſtante morbi chronici, v. c. aſthma, phthiſis, atrophia, hydrops, a tumoribus ſcrofuloſis inprimis iam duritiem lapideam adeptis, orti fere inſanabiles ſunt.

Si in utero figitur ſcrofuloſo materies, eſſe poteſt cauſa ſterilitatis †††). Glandulis ventriculi, inte-

*) BONSTORFF diſſ. cit. §. 58.

**) Ibidem §. 29.

***) HALLER elem. phyſiol. T. I. p. 167. W. HUNTER Medical Comment. p. 58.

****) l. c. §. 1603.

†) Noſol. meth. T. III. P. 2. p. 409.

††) *Bemerkungen über chron. Krankh.* p. 126.

†††) BOSE Progr. de ſcrofulis uteri ſterilitatis feminarum cauſa. Lipſ. 1787. Doleo tamen, Cl. virum quemlibet uteri leviorem ſcirrhum ad ſcrofulas retuliſſe.

inteſtinorum aliorumque viſcerum abdominalium labem ſcrofuloſam expertis, innumera mala ab impedita partium dictarum functione pendentia producuntur, v. c. vomitus, dolores colici, ſtranguria, teneſmus, pertinax alvi obſtructio, ipſe ileus *) &c.

§ 57.

Gravioris leviorisque morbi, periculi atque ſalutis ſigna quaedam.

Prognoſis ſcrofularum a magnitudine, vehementia, ſede, diverſo ſtatu, duratione aliisque morbi conditionibus, nec non a variis ſubiecti, in quod incurrit, circumſtantiis deſumenda venit.

Si tumores ſcrofuloſi blanda manſuetaque materia conſtituuntur, nec qualicunque accedente cauſa exaſperantur vel per ſe in ulcerationem proclives ſunt, diu, quin per totam vitam, absque alio, quam quod pondere ſuo creant, incommodo, geſtari poſſunt. PRüCKELIUS **) in lanione tantam ſcrofularum deprehendit copiam, ut nulla propemodum pars ab iis fuerit immunis; nihilominus valebat homo valde ſenex ex animi ſententia, ſuoque impigre fungebatur officio. BIERCHéN †) ſcrofulas frigidiſſimae chronicaeque naturae eſſe notat, nec raro per totam vitam absque imminutione vel augmento durare. Confirmat idem RENARD ††). Tali vero in caſu poſt ſub-

*) MORGAGNI L. III. ep. 29. art. 12. PLATERI obſs. L. III p. 679. RUSSELL de tabe glandulari. p. 20.
**) M. N. C. ann. 9. p. 45.
†) l. c. p. 41.
††) l. c. p. 35.

ſublatam univerſalem ſcrofuloſam cacochymiam tumores ſolum, tanquam effectus locales reſtitare dixeris.

Mitiores ſunt recentes, aequales, mobiles, rotundae, coloris cum cute eiusdem, circumſcriptae, non maxime durae, doloris & inflammationis expertes; & contra facile in magnum, erodens, ſerpens demigrant ulcus, prope carcinomatoſum, venis eminentibus, dolore pulſante. LOMM. KLEIN.

Maiores aegrius, quam minores curantur, ſimplices facilius, quam inflammatae, ſuperficiariae, quam profundae, in collo, quam in aliis emunctoriis, (glandulis,) pauciores, quam plures, ſuſpenſae, quam inſertae & implicatae. HUCHERUS *).

Quo pluribus locis ſimul erumpunt ſcrofulae, eo penitius malum inſedit, eoque proinde gravius eſt. Eandem ob cauſam concatenatae malae. — Contra ea affectus ſcrofuloſi mere locales — v. c. tumores cyſtici poſt ſubactam cacochymiam reſtitantes — periculo fere vacant.

Quo plures ac nobiliores partes internas obſident, eo peiores. Recte TULPIUS **): Strumae externae diu ſunt innoxiae, internae brevi periculoſae.

Periculoſi ſunt tumores, ſi nervo aut inſigni venae adhaerent †). — Quamdiu glandulae ſcrofuloſae nondum cum tendineis partibus coalitae, ſperare adhuc licet, revolutione quadam in corpore

*) l. c. p. 830.
**) L. I. Cap 46.
†) BARBETTE chir. p. 166.

pore oriente ſponte eas reſolutum iri. Si vero factus iſte coalitus, de eliminanda per ſudorem & urinam acrimonia cogitandum, quia alias facile hydropes, aſthmata &c. inſequuntur. SELLE *).

Ubi praeter glandulas conglobatas tumentes tumores quoque cyſtici adſunt, ibi iam adolevit malum. Maius adhuc mali incrementum denotant glandulae conglomeratae, inprimis ſalivales, affectae, vel ganglia, nodi tophi &c. ad ligamenta, articulos, perioſteum, &c. Si tumores articulorum albi inſuper accedunt conclamatum eſt. — Oſſibus adhaerentes ſcrofulas fere incurabiles eſſe, pronunciat ETTMüLLER.

Tumores cyſtici ſtrumoſi grandiores non raro multum nutrimenti corpori quaſi demunt illudque emaciant; qualem caſum narrat TIMAEUS A GüLDENKLEE **). Exciſis tumoribus corpus iterum ac ſanitas augebantur.

Lunae phaſibus convenienter creſcentes & decreſcentes tumores peiores eſſe dicuntur. (§. 6.)

Quo luculentiora cachexiae ſcrofuloſae ſigna, vel quo evidentior habitus ſcrofuloſus, eo magis malum adolevit, & contra. Excipe vero morbos ſecundarios in adultioribus, qui peſſime ſaepius detinent, licet cachexiae ſcrofuloſae indicia dudum prorſus fere evanuerint. — Ophthalmiam accedentem neutiquam cum CULLENO ad malignioris morbi notas eſſe referendam, alibi (§. 26.) iam diximus.

Malum ſemper, ſi meſenterium ſimul affectum. Duplex interim caſus diſtinguendus eſt. Si

---

*) Med. clin. p. 228.

**) L. VI. Caſ. 23.

Si in ſcrofula proprie dicta, ſive noſtra priori varietate, in qua meſenterium non adeo pati ſolet, glandulae meſentericae quoque afficiuntur & tumere ac indurari incipiunt, peſſimum, quoniam tunc exaltatum vitium omne corpus infecit, & meſenterium facilius in exulcerationem tranſit, veluti & glandulae externae in ſcrofula proprie dicta ad ulcerationem valde proclives exiſtunt. In leviori e contra ſcrofulae meſentericae gradu infarctus glandularum meſenterii tam magni momenti non eſt, ſed ſaepe facile ſatis vincitur; quare & atrophiam non nimium progreſſam ſatis curabilem eſſe videmus. Hinc reſtringendum duco aſſertum G. IOSEPHI *), atrophiam ex obſtructione glandularum meſentericarum ortam curatu difficillimam & fere ſemper inſanabilem eſſe; quia vitium plerumque nimis ſero in ſtatu demum morbi cognoſcatur, glandulis iam firmiter induratis. Diagnoſin quidem infarctus glandularum meſenterii adeo difficilem haud dixerim, ſi ſigna alibi propoſita curate attendantur.

Gradus mali in univerſum (§. 24.) prognoſeos fundamentum quoque exhibet. Primus gradus, glandulae nimirum colli in infantibus leviter tumefactae, leviſſimus eſt, & absque noxa cernitur frequentiſſime; quin plures noverim matres, quae nodulos in collo puerorum tangendos a naturali partium confirmatione provenire & in omnibus infantibus locum habere exiſtiment. Hinc etiam fruſtraneum fere eſt, earum curationem ſuſcipere, cum aetate procedente ſponte diſpareant absque noxa.

Va-

*) Obſ. ad anatom. & art. obſtetric. p. 14.

Vagum falſumque eſt STOLLII *) aſſertum, ſcrofulas plerumque per omnem vitam permanere non ſanandas. In vulgus potius notum eſt, circa pubertatem robore corporis aucto & conſtitutione eiusdem mutata criſin quaſi morbi fieri, ſcrofulasque ſponte ſaepenumero ceſſare **). „Pendet hic morbus," ait SAUVAGES ***): „a quodam vitio lymphae glandulas conglobatas irrorantis, quod ab ortu contractum non evaneſcit, niſi cum adoleſcentia vires digeſtivae auctae hoc vitium corrigere valeant." Ipſa ſcrofuloſa ulcera curationi pertinaciter reſiſtentia, ſponte interdum conſolidantur, ſi aeger adoleſcit corporisque robur augetur; in infantibus quoque haec ulcera difficilius longe ſaneſcunt quam in adultis †).

Si pubertate ingruente corporis conſtitutio ita mutatur, ut tollatur ſcrofuloſa diſpoſitio, hoc ſequentem fere in modum fit, iuxta deſcriptionem Cl. LALOUETTE ††):

„Nonnulli pubertatis tempore ingruente de laſſitudine, debilitate & torpore conqueri incipiunt, facies iam pallida magis adhuc impalleſcit, perit ciborum appetitus. Non multo poſt noctes ſequuntur inquietae, oculi languidi clareſcunt magis atque ſcintillant, cutis fit calidior, pulſus hactenus exiguus fortior atque vividior, urina alias turbida craſſaque clarior & pellucidior, abdomen tumeſcit, ſed abſque dolore, reſpiratio crebrior fit,

*) Praelect. in morb. chron. p. 31.

**) Prix de l'ac. de chir. l. c. p. 35. RUSSELL Oecon. nat. p. 80.

***) l. c. p. 403.

†) DEASE practice of ſurgery, Vol. I.

††) Traité des ſcrophules, T. I.

fit, tandemque febris ſe oſtendit. Circa hoc tempus iuvenes conqueruntur interdum diros articulorum dolores, ſique tunc glandulas explores, molliores longe illas atque rotundiores deprehendis, articulorum tumeſcentia manifeſto minuitur, tandemque, ob criſin iam inſtantem motus internus fieri videtur, ſalutarem calorem ab internis corporis partibus extrorſum diffundens, unde hactenus ſenſu deſtituta tubercula reviviſcunt & ſenſum iterum acquirunt, maturescunt, brevi ſuppurantur ac perfecte conſolidantur."

Cl. FABRE *) talem criſin a natura circa pubertatis tempus tunc ſolum fieri innuit, ſi illi ſoli hoc negotium permiſſum fuerit, non vero medicamentorum multa ferragine uſurpata, quae eam in corpore mutationem produxerint, ut tam violenti motus ad morbidi fomitis deſtructionem haud requirantur. Nihilominus tamen circa hoc tempus in talibus hominibus ſalutarem ſponte natura mutationem ingruere docet, quae videlicet excretionem plus minus ſenſibilem vel adeo inflammationem tuberculorum atque ulcerum laudabilem ſuppurationem excitet, morbumque brevi perfecte tollat.

„Morbus hic ſtatarius ſine ulla fere mutatione permanet usque ad virilem aetatem, quo tempore recidit, & tunc robuſtiores atque ab aliis morbis frequentius immunes ſunt ſcrofuloſi, obſervante I. QUINCY *Eſſay of the Evil.*" ait SAUVAGES **). Iſta tamen regula cum grano ſalis acci-

*) *Unterſuchungen aus der Arzneyw.* p. 188.
**) l. c.

accipienda eſt. Minime ſemper ſcrofuloſi, ſi malum adulta aetate ceſſarit, minus ſunt ad morbos procliyes. Saepe enim materiei ſcrofuloſae reliquiae pulmonibus inhaereſcunt peſſimamque phthiſin excitant, vel reſtitans per totam vitam ſcrofuloſa diatheſis multiplici aegritudini anſam ſuppeditat. Recte RUSSELL *) adoleſcentem aetatem *criticum* quaſi *tempus* eſſe docet, *futurae aetatis ſanitatisque tanquam ſpecimen*; cum **) ab animali calore in adultis inſigniter aucto pericula illa increſcant, quae a glandulis in puerili aetate obſtructis aut alio modo impeditis oriri poſſunt, ſive in iis adſint adhuc tubercula, ſive tonus earum partium modo relaxatus id efficiat, ut morbi in adultiori deinde aetate orti in debilitatas potiſſimum iſtas partes alliciantur convertanturque. Conſentit KÜCHLERUS †), ſi in infantibus jam animadvertantur glandularum vitia, veroſimile omnino eſſe, eos in aetate provectiori & aliis glandularum morbis eſſe laboraturos. Glandulae, pronuntiante C. A. DIETRICH ††), cum vel in teneris annis depravatae materiam mali conceperint vel alio modo infectae ſint, hoc ſemen diu interdum retinent & alunt, donec caſu quodam, quem cauſam proximam dixeris, graves morbi erumpunt. Pluries jam in praecedentibus innuimus, qui iuventute ſcrofulis laborarunt, eos per reliquam vitam multiplici occaſione accedente ad ſimi-

*) Oecon. nat. p. 131.

**) Ibidem, p. 127 ſq.

†) Diſſ. de glandulis puerorum colli tumefactis, p. 22.

††) Diſſ. de morbis glandularum.

ſimiles tumores concipiendos diſpoſitos eſſe. — KAEMPFIUS *) aſſerit, ſi in pueritia narium haemorrhagiae crebrae, vel haemorrhoides (quae nempe diſpoſitionem ad infarctus imi ventris deſignant) iam adſint, vel veſtigia glandularum meſenterii obſtructarum, tunc crebra experientia docente vel phthiſin adulta aetate oriri vel in ſenectute morbos chronicos & infarctus abdominales.

Scrofulas aliquando in feminis quinquagenariis reverti, SAUVAGES **). Quippe feminae, docente RUSSELL ***), tempore ceſſationis menſtruorum valde periclitantur a glandulis, quum mollior illarum eſſe ſoleat habitus, hinc colli, mammarum, uteri, aliarumque partium glandulae non raro tumeſunt, variique morbi ſubſequuntur. Et tumores quidem glandulares tunc ingruentes curatu ſunt difficillimi. In feminis, quibus menſtrua ſuppreſſa revocari nequeant, vel & propter aetatem ceſſent, raro poſtea curari ſcrofulas, ſcribit BORDEU †). In ſubiectis femineis apparente menſtruatione ſcrofuloſae dyſcraſiae ſymptomata ſaepe quidem minui, ceſſante vero eadem ſeſe plerumque iterum prodere indurationibus mammarum & uteri, SELLE ††).

Uti vero in plurimis caſibus tempore pubertatis, robore corporis aucto & in feminis excretione menſtrua accedente, ſcrofuloſa cachexia cum ſalute diſparet, ita ſcrofulae, ſi tunc temporis reſi-

*) Libro ſaepius dicto, p. 141.
**) l. c.
***) l. c. p. 138.
†) Prix de l'ac. de chir. l. c. p. 104.
††) l. c. p. 127.

ſtitant, pertinaciores evadunt, quin in ſcirrhos quandoque mutantur. RUSSELL *) niſi inter pubertatem & viceſimum quintum aetatis annum aegrum dimittant ſcrofulae raro poſtea curari pronunciat. LOMMIUS **) ait: *Adultioribus magisque ad ſenilem aetatem provectis, rarae quidem, at difficillimae omnes ſunt ſtrumae.* Curationem ſtrumarum per ſe quidem difficilem, in pueris tamen faciliorem, quam in adultis cenſet TIMAEUS A GüLDENKLEE ***). Inveteratas ſtrumas medicamentis non cedere, DOLAEUS ****). Vix poſt annum 40 morbum curari docet WISEMANN †).

Licet pertinaciſſimum malum ſint ſcrofulae, pauci tamen inde moriuntur. STOLL ††).

Generatim exulceratae ſcrofulae non ulceratis deteriores. Non tamen ſine veritate monet BORDEU †††), interdum cum levamine morbi ſcrofulas exulcerari. Si enim illud fit in loco, ubi minus periculoſum eſt, v. c. in collo, inſtar artificialis ulceris agere poteſt & acrimoniam ſcrofuloſam in nobiliores partes vel viſcera cum periculo decumbentem evocare.

Si abdominis viſcera, inprimis hepar iam increvere & diuturna inde phyſconia orta, malum inſigniter adolevit.

Difficillime ſanantur infantes ſcrofuloſi, qui alvi fluxu albido, chyloſo, vel fruſtulis caſeoſis aut fibrillarum quaſi ramentis remixto, purulento, ſa-

---

*) l. c. p. 95.
**) Obſ. medicinal.
***) l. c. Caſ. 22. p. 283.
****) l. c. p. 613.
†) apud ALLEN ſynopſ. med. pract.
††) l. c.
†††) l. c. p. 69.

ſanioſo ſaepeque foetidiſſimo, diuturno, laborant, quoniam tunc meſenterium plerumque exulceratum, ſaltem obſtructiones glandularum illius frequentes valdeque confirmatae ſunt. Simili alvi fluxu in adultioribus ſcena morborum ſcrofuloſorum, ubi meſenterium ſimul affectum, lethum afferentium plerumque clauditur.

Si in atrophiam malum propendet, tunc quo inſignior abdominis tumor & durities, & quo maior reliqui corporis macies, eo peius.

Sunt infantes, qui ſcrofula meſenterica convaleſcunt, cum decimum circiter annum attigere. SAUVAGES *).

Febris qualiscunque ſcrofulis ex morbi vehementia accedens, mala, inprimis hecticum phthiſicumque characterem prae ſe ferens.

Leviorem eſſe morbum, quem ſolae procatarcticae cauſae absque haereditaria diſpoſitione produxerunt, graviorem e contra utplurimum, qui a vitio ex haereditate innato proficiſcitur, ſupra iam notavimus. Nimius tamen eſt ALLEN **), inquiens: ſcrofulas haereditarias eſſe inſanabiles, & TURNER †), qui aſſerit, *ubi malum haereditarium* vel ad magnum gradum provectum, ibi plerumque obſtructum eſſe meſenterium & hecticam mortem evenire. Saepe enim ſcrofulae, licet haereditate translatae, laeviſſimo in gradu ſe oſtendunt facileque vincuntur; quin congruis remediis auxiliisque prophylacticis poſtea notandis inde a prima infantia in uſum vocatis optime haud raro cave-

*) l. c. p. 413.
**) l. c. p. 445.
†) apud BALL New practice of phyſic.

cavetur innatae diatheſeos evolutio. Praeterea haereditariae etiam ſcrofulae circa pubertatem, utplurimum ſponte diſparent.

In phthiſi pulmonali ſcrofulae interdum criticae. SYDENHAM, BRILLOUET. (vid. §. 47.)

Scrofularum complicatarum atque ſpuriarum prognoſis a varietate cauſarum deſumenda. Sic v. c. qui poſt variolas remanent affectus ſcrofuloſi difficulter utplurimum perſanandi; quippe experientia refragatur WHITIO *), aſſerenti, ſcrofulas variolas morbilloſque inſequentes utplurimum malum mere locale eſſe, aptoque regimini facillime cedere. Glandularum tumores poſt menſtruorum ſuppreſſionem, his revocatis plerumque evaneſcunt; arthriticam ſcrofulam vehementior arthritidis febrilis paroxysmus multam ſudationem excitans diſpulit, (§. 46.) & ſic porro.

Pueris rhachiticis & hominibus glandulas conglobatas ſcrofuloſas habentibus purpura ſaepe eſt fatalis **).

Scrofulae cancroſae pronunciantur inſanabiles †). MAJAULT ††) ait: *Les ecrouelles malignes produiſent des accidens terribles, ſe compliquent ſouvent, deviennent chroniques & ne reconnoiſſent de remede ſouverain, que la mort.* — Ita quoque peſſimum, ſi ſpina ventoſa vel paedarthrocace ſeſe adiungat, inprimis, ſi plura corporis loca male habeat.

In

*) l. c. p. 83.

**) ZEIDLER (Cl. LEIDENFROST) diſſ. de moderna frequentia morborum nervoſorum &c. Duisburg. 1776. p. 22.

†) BIERCHéN l. c. p. 47.

††) Prix de l'ac. de chir. l. c. p. 325. Cf. p. 338.

In plurimis infantibus ſcrofulae praecurſores ſunt aurium manantium, & achorum, quibus advenientibus ſponte ſolvuntur. DE MEZA *). Semper bona eſt ſcabies capitis ſcrofulis accedens, ſive talis repreſſa ipſa morbum excitarit, ſive minus **). Praecavet quoque pueros moleſtius ſcrofularum ortum, nec unquam inconſiderate ſanari debet. Ulceris quaſi artificialis inſtar eſt, multaque impura lympham inquinantia e corpore eliminat.

Aliquando ceſſant ſcrofulae humiditate pone aures orta vel ichoris effluxu ex aure, ſuccedente item haemorrhagia narium, catarrho aut alvi profluvio ***).

Aliquando ſponte evaneſcunt ſine ulla ſenſibili evacuatione, ut tamen poſthaec redeant †). Relicta nempe in corpore ipſarum cauſa materiali, nec deleta diatheſi ad morbum in eodem vel alio corporis loco ocyus ſerius iterum apparent ††). Huc inprimis pertinet quoque *ſcrofula fugax* a SAUVAGESIO dicta. Si ſcabie capitis uberius manante vel otorrhoea accedente tubercula numero minuuntur vel evaneſcunt, nec non ſi corporis robore aucto ſenſim paulatimque diſparent, bonum eſt. Si vero ſubito evaneſcunt abſque ulla ſenſibili evacuatione, ſive ut cum CHARMETTONO loquar, *per deliteſcentiam* terminantur, ominoſum, ſiquidem humor in partes internas cum periculo decumbere queat. — Univerſim

 ſubita

*) Comp. med. pract. Faſc. 6.

**) Cf. STOLL l. c. p. 47. 287.

***) VOGEL praelect. §. 715.

†) IDEM ibidem.

††) Prix de l'ac. de chir. l. c. p. 31.

ſubita ſcrofularum diſparitio materia morbi mobili exiſtente, tam ab aucto vaſorum motu maioreque calore, hinc facta ſtagnantis reſolutione ac reſorbtione, quam a ſubita per evacuationem quandam ſenſibilem revulſione naſci poteſt, ut tamen & absque manifeſta cauſa phaenomenon illud obſervatum ſit *).

Febres, quarum in ſtagnantibus diſcutiendis ſolvendisque tenacibus tanta vis, fortuito exortae, ſcrofulas quoque haud raro diſpellunt vel mitigant; alias tamen malum potius augent. Vehementiore enim febre validior ſanguinis in obſtructa loca impulſus contingit, ſyſtema nervoſum graviter irritatur, ipſique nervi ſpaſmo quaſi adſtringuntur **); id quod reſolutionem ſtagnantium humorum ſaepe tantum abeſt, ut adiuvet, ut potius cohibeat. Praeterea variolas, morbillos aliosque febriles morbos diatheſin ſcrofuloſam in actum ducere, morbumque iam praeſentem augere poſſe, ſupra (§. 42. ſq.) prolixe ediſſeruimus.

---

*) Prix de l'ac. de chir. l. c. p. 47. 197.
**) HALLER de nervorum in arterias imperio.

Com-

Commentarii
de
Vitio ſcrofuloſo
Pars altera
Therapevtica.

SECTIO PRIMA.

Variabimus artes,
Mille mali ſpecies, mille ſalutis erunt.

Ovid.

PARTIS SECUNDAE
SECTIO I.
Generalia quaedam circa ſcrofularum medelam, nec non de cura praeparatoria.

§. 58.
Medelae ſcrofularum difficultates.

Difficultas ſcrofuloſo vitio medendi inde ab antiquiſſimis temporibus medicorum ingenia mire exercuit, & ad multiplex remediorum genus undique quaeritandum eos impulit. CELSUS *), *Credo autem*, inquit: *quo peius malum* (ſtrumae ſcil.) *eſt, minusque facile diſcutitur, eo plura eſſe tentata, quae in perſonis varie reſponderunt.* Et profecto apud hunc aliosque veteres Auctores, PLINIUM, ARETAEUM, AETIUM, AEGINETAM, SCRIBONIUM, MARCELLUM, NONUM &c. ingentem iam remediorum, praecipue tamen externorum ad ſtrumas farraginem reperimus, quam ſerior aetas ad hunc usque diem continuo auxit; ita quidem, ut veriſſime pronunciet

*) L. V. Cap. XVIII. §. 11.

Cl. FAURE *), vix ullum exiſtere remedium, quod non ad vincendas ſcrofulas adhibitum fuerit, — & Cl. WHITE **), vix ullo medicamine recentiori aevo materiam medicam ditatam fuiſſe, quod nec ad ſcrofulas efficax dictum fuerit. Quisque enim fere medicus ſingulare ad morbum noſtrum debellandum quaeſivit remedium. Minus tamen exoptato ſucceſſu id factum eſſe, ipſa medicaminum multitudo iam innuit, cum, ſi unum alterumve exſpectationi reſpondiſſet, aliis detegendis vix operam navaſſent medentes. Frequentia praeterea atque pertinacia affectuum ſcrofuloſorum ad hunc usque diem obſervandae artis quoad haec mala impotentiam ſatis arguunt.

Res ipſa exigit, ut cauſas refractariae morbi noſtri indolis penitius paullo rimemur. Et primo quidem loco notandum, ſcrofulas — eas ſaltem, quarum curatio difficillime procedit, — ex vitio corporis haeriditate translato proficiſci. Mirum profecto non eſt, malum, cuius cauſa tam alte radicata & quaſi innata eſt, aegerrime tolli, cum vix ac ne vix quidem praeternaturalis inde a nativitate ſolidorum conſtitutio a medente in oppoſitam, naturalem ſanam transmutari poſſit. Qua de re bene ratiocinatur Cl. FABRE †). Duplex ille morborum chronicorum agnoſcit principium, adventitium aliud per cauſas externas natum, alterum innatum. Poſterius hoc agens illud materiale

*) Prix de l'ac. de chir. l. c. p. 25.
**) l. c. p. 85.
†) Eſſais ſur differens points de phyſiologie, de pathologie & de therapevtique. Paris 1770. Cap. XV. p. 273. ſq.

teriale eſt, quod recte ſe habens irritabilitatem organorum noſtrorum excitat, depravatum vero morbos producit pro varia aetate & ſede diverſos. Morbos a cauſa externa natos, v. c. ſyphilidem, ars vincere poteſt, non aeque illos, qui ab innato principio depravato pendent. Hos ars lenit & mitigat, ſola natura, mutata per aetatem & vitae genus ſolidorum fluidorumque conſtitutione curat. Id quod exemplo mali hypochondriaci & inprimis ſcrofularum illuſtrat Auctor; nullamque methodum his morbis oppoſitam conſtantem & univerſalem eſſe innuit, licet mox haec, mox illa ſymptomata leniat. — Conſideremus praeterea, ſcrofuloſum morbum habere ſuos prodromos, initium, progreſſum, coctionem, criſes, finem (§. 24.), & hoc reſpectu quoad decurſum acuto morbo quodammodo ſimilem eſſe. Veluti iam vix in noſtra poteſtate ſitum eſt, acutum morbum in ipſo decurſu ſuo iugulare & ne ſtadia ſua percurrat, impedire, ita & arduum profecto negotium eſt, ſcrofuloſi morbi inhibere evolutionem eiusdemque progreſſui obicem ponere; eo quidem magis, cum chronica illius indoles atque morboſus character corpori altiſſime impreſſus ſit. Facillime quidem ſaepe tumidae glandulae apta medicatione magnitudine minuuntur vel prorſus diſcutiuntur, ſed paullo poſt denuo intumeſcunt, quaſi nil factum fuiſſet.

Spem vanam medici quidam aluere ſpecifici remedii aliquando adverſus vitium ſcrofuloſum detegendi, quod illud eodem fere modo, uti mercurius ſyphilidem domare valeat. Nuperrime adhuc Cl. SPOHR *) hanc ſpem fovet, remediisque

*) ap. BERTRANDI *von den Geſchwülſten*, p. 362. not.

que reſolventibus, roborantibus, humores emendantibus nonniſi effectus virus ſcrofuloſi tolli docet eiusque forſan ſubactionem eliminationemque facilitari. — Sed vanos profecto & inanes dixerit quilibet hodiernae ſanioris pathologiae vitii ſcrofuloſi haud ignarus conatus omnes morbi noſtri antidotum reperiendi. Non enim, veluti syphilidis virus, cauſa univerſi morbi eſt ſcrofuloſa acrimonia, ſed effectus potius atque neceſſaria ſequela actionis organorum humorumque motus per totam infantiam eorum, quibus vitiata eiusmodi diatheſis connata ſuit. Quid igitur iuvaret ope ſpecifici remedii ſcrofuloſam domaſſe acritatem, cum nihilominus reſtitaret praeternaturalis ſolidorum, inprimis ſyſtematis lymphatici conſtitutio, novae ingenerandae acrimoniae mox anſam datura, nec ipſe morbus, ſed effectus ſolum morbi ſublatus fuiſſet? Allevaret quidem malum eiusque curationem accelleraret tale remedium ſcrofuloſam acrimoniam ſpecifico modo extinguens, delens — veluti & medicamina humores emendantia, purificantia, acrimoniam quodammodo corrigentia vel ſaltem e corpore educentia in medela morbi noſtri maximi omnino momenti ſunt, — antidoti tamen ſpecifici *adverſus ipſum morbum* nomen ipſi nullo modo competeret. Deſpero praeterea unquam remedium inventum iri, quod certo atque conſtanter acrimoniam in corporibus ſcrofuloſis obviam corrigere atque delere valeat.

Ad alias vero quasdam medelae ſcrofularum difficultates trutinandas accedamus. Vis vitalis & nervea in noſtro morbo langueſcit nec medicaminum ſatis adiuvat actionem. Frigida pituita univerſum corpus obruit & medicamentoſos ſtimulos

mulos obtundit. Primariae nominatim morbi ſedis, ſyſtematis lymphatici, vim tonicam atque vitalem imbecillem nimis putaveris, quam ut tantas oſcillationes concipere valeat, quae tenaci frigidaeque glandulas infarcienti materiae facile diſcutiendae ſufficiant. Accedit, notante Cl. DIEL *), quod obſtructae glandulae lymphaticae viam medicaminibus praecludant, — ſaltem impeditiorem reddant. cum infarctas glandulas raro plenarie obſtructas eſſe, alibi docuerimus.

Quae feliciori medelae morborum chronicorum in univerſum obſtant, impedimenta (introd. §. 1.) in ſcrofulis quoque locum habent; ex quibus hic id ſolum notaſſe adhuc iuvat, quod malum diu ſaepe corporis latebris clanculum inhaereſcat altaque radices agat, antequam effectibus ſeſe manifeſtet. (§. 12.) MACBRIDE **) ait; *Quum ea acrimoniae ſcrofuloſae* (vitii ſcrof. dicere mallem) *natura ſit, ut diu in corpore abdita latere poſſit, neceſſarium eſt, ut aegre vincatur, quippe quae, antequam ſe prodat, nimis altas radices iam egerit.*

Cum plerique ſcrofuloſorum infantes ac pueri ſint, nova inde exſurgit curationis difficultas. Hi enim medicaminum uſum quam maxime reformidant atque detrectant, ita quidem plane, ut in brevibus morbis ſaepe ne pauca quidem medicina ipſis ingeri queat, medicique illos abſque omni fere auxilio relinquere cogantur. Quanto minus hinc diuturnus remediorum uſus — in ſcrofulis, ſi aliquid efficere velimus, haud evitandus — a pueris

*) apud WHITE l. c. p. 103.
**) Introduct. T. II. p. 393. vers. CLOSS.

pueris impetrari poterit! Longus quilibet morbus ipſos adultiores impatientes reddit atque continuatam medicationem, cuius praeſentaneos luculentosque effectus non percipiunt recuſantes.

Secundariorum denique affectuum ſcrofuloſorum plurium ea natura eſt, ut aegerrime medelam admittant, feliciori hinc morbi primarii ſ. principalis curationi inſigniter etiam obſint. Exempla praebeant tumores cyſtici inveterati, obſtructiones ac indurationes glandularum magis confirmatae, maligna oſſium caries, articulorum tumores albi, phthiſis, atrophia, rel.

Sed anne forſan quaedam quoque haud exoptati medelae ſcrofularum ſucceſſus pars in culpam medentum coniicienda? Ita fere videtur. Illi enim ſaepe perſpectis ſcrofularum ſignis directe remedia ſic dicta antiſcrofuloſa exhibent nec conſiderant innumeras & in individuis diverſas cauſas morbificas, quae cum vitio ſcrofuloſo haud raro complicantur & coniunctis cum illo viribus efficaces ſe praebent; (§. 40. 42. ſqq.) quaeque, niſi ſollicite removeantur, felicem ſcrofulae medelam ſperare non ſinunt. Praeterea, licet nulla complicatio, ſed ſimplex vitium ſcroſuloſum adſit, medela nihilominus pro circumſtantiarum ratione variare nec iuxta unam eandemque normam inſtitui debet. Neque, bene monente MACBRIDE *), remediis antichoeradicis indiſcriminatim & promiſcue uti licet, ſed prout mali conditio eſt, alias aliud eligere oportet. Omnia remedia antiſcrofuloſa triplicem potiſſimum virtutem poſſident, vel ſcilicet tenacia, obſtructa ſolven-

*) l. c.

ventem, vel acrimoniam emendantem, eliminantem vel denique roborantem, cum hae fere in ſcrofuloſo morbo occurrant potiores indicationes. Sed in aliis ſubiectis debilitas eminet, in aliis acrimonia, in aliis demum infarctus frigidi praeprimis obſervantur. Iuxta hanc igitur quoque differentiam remedji genus eligendum, nec immerito Ill. RICHTER *) infauſtum curationis ſcrofularum ſucceſſum inde derivandum eſſe credit, quod non ſemper remedium adhibeatur indoli praedominanti accommodatum, ſed plerumque omnis generis ſic dicta antiſcrofuloſa invicem absque ordine & electione propinentur. — Plurium hoc loco mentionem facere poſſem errorum practicorum, ſed hi ex praeceptis circa ſcrofularum curationem poſtea tradendis, ſponte pateſcunt.

§. 59.

Rebellis mali indoles ad ſuperſtitioſorum remediorum uſum invitavit homines.

Infelix curationis ſcrofularum remediis, quorum actio phyſica patet, tentatae, ſucceſſus, procul dubio in cauſa fuit, ut his relictis tum medentes, tum aegroti ad ſympathetica, ſuperſtitioſa obſcuraeque virtutis confugerent auxilia. Numeroſa praeterea agyrtarum cohors circa ſcrofulas praeprimis quoque occupata fuit, vaniſque ſuis arcanis credulorum aegrotorum ſpem lactavit. Neque mirum eſt, aegrotos ob curationis moram impatientes atque ob dubium a medicis rerum gnaris praedictum eventum deſperantes impudentium

*) *Chirurgiſche Bibliothek.* B. VI. p. 565.

dentium agyrtarum ſalutifera ſua arcana glorian-tium promiſſis fidem praebuiſſe *).

Liceat hoc loco ſuperſtitioſorum remedio-rum — quibus ab omni fere aevo ad morbum noſtrum uſi ſunt — quaedam enumerare, cum ſaltem credulitatis hominum monumenta ſcitu iucunda exhibeant, morbi difficultatem commonſtrent, forſan etiam animi affectum vim medicatricem oſtendant, cum in quibusdam caſibus huius farinae auxilia utilia fuiſſe, negari nequeat.

PLINIUS plurima habet, quae huc ſpectant. „Quidam aiunt, ſi impoſita (ſtrumis) radice (aſphodeli) pars eius in fumo ſuſpendatur & quarta die ſolvatur, una cum radice areſcere ſtrumam **).“ — „Produnt etiam, ſi quis inclinata arbore (ficu) ſupino ore aliquem nodum eius morſu abſtulerit, nullo vidente, a que in aluta illigatum licio e collo ſuſpenderit, ſtrumas & parotidas diſcuti ***).“ — Corticem caprifici arboris impubeſcentem puer impubis, ſi defracto ramo detrahat dentibus, medullam ipſam adalligatam ante ſolis ortum prohibere ſtrumas †). — „Ranunculi radicem noſtri herbarii ſtrumeam vocant, quoniam medetur ſtrumis & pannis, parte in fumo ſuſpenſa. Creduntque ea rurſus ſata rebellare, quo curarint vitia: quo ſcelere & plantagine utuntur ††).“ — Sideritis lata folia clavo ſiniſtra manu circumfoſſa adalligantur, cuſtodienda ſana-tis

*) WHITE l. c. p. 58.

**) PLINII Hiſtoriar. L. XXII. Cap. 22.

***) Ibidem L. XXIII. Cap. 7.

†) l. c.

††) Ibidem L. XXV. Cap. 13.

tis, ne rurſus ſata diro herbariorum ſcelere, ut in quibusdam, rebellet: quod & in his, quos artemiſia ſanaverit, praedici reperio *)." — „Condurdum herba ſolſtitialis flore rubro ſuſpenſa in collo, comprimere dicitur ſtrumas, item verbenaca cum plantagine **)." — „Immatura morte raptorum manu ſtrumas, parotidas, guttura tactu ſanari affirmant. Quidam vero cuiusque defuncti, duntaxat ſui ſexus, laeva manu averſa ***)." — Strumas & parotidas tractatu mulierum menſtruantium leniri †). — Lacertus viridis (ſtrumis exulceratis) alligatur. Poſt dies XXX oportet alium adalligari. Quidam cor eius in argenteo vaſculo ſervant ††); &. ſ p. Etiam MARCELLUS †††) contra omnes ſtrumas & feminis & maribus utiliſſimum eſſe ait, ſi cor lacertae viridis lupino argenteo clauſum in collo ſuſpenſum ſemper habeant. — „Si volueris explorare, utrum ſtruma ſit loci illius, qui tumebit, antequam medicinam adhibeas, lumbricum terreſtrem ad tumorem applica & poſtea ſuper folium pone; ſi ſtruma erit, lumbricus terra fiet: ſi non erit ſtruma, integer atque illaeſus permanebit ††††." — „Strumae optime medetur radix verbenae, ſi eam transverſam reſeces, extremamque eius partem labo-

---

*) Ibidem L. XXVI. Cap. 5.

**) l. c.

***) Ibidem L. XXVIII. Cap. 4.

†) l. c. Cap. 7.

††) Ibidem L. XXX. Cap. 5.

†††) de medicam. empiricis, edit. *Ian. Cornar.* Baſil. 1536. fol. p. 107.

††††) MARCELLUS l. c. p. 108.

laborantis collo ſubnectas *), priorem autem partem in fumo ſuſpendas: areſcente enim ea ſtrumae quoque ſiccabuntur & omnis earum humor areſcet; cum ſanus fuerit, quem curaris, ſi tibi ingratus extiterit, utramque partem in aquam coniicito, ſtrumae renaſcentur **)." — Lupus marinus, id eſt piſcis, tantae efficaciae eſt adverſum ſtrumas, ut ad quamlibet partem corporis admotus ſtrumarum vitium omne perſanet †)." Plura alia nominatus MARCELLUS ſuperſtitioſa & ridicula adverſus ſtrumas glandulasque remedia commemorat, quorum ineptiſſimum fere ſequens exſcribi adhuc meretur: „Carmen mirum ad glandulas ſic: albula glandula, nec doleas, nec noceas, nec paniculas facias, ſed liqueſcas tanquam ſalis in aqua: hoc ter novies dicens, ſpues ad terram, & glandulas ipſas pollice & digito medicinali perduces, dum carmen dicis, ſed ante ſolis ortum & poſt occaſum facies id, prout dies aut nox minuetur. Glandulas mane carminabis, ſi dies minuetur, ſi nox, ad veſperam: & digito medicinali ac pollice continens eas, dices: novem glandulae ſorores, octo glandulae ſorores, ſeptem glandulae ſorores, ſex glandulae ſorores, quinque glandulae ſorores, quatuor glandulae ſorores, tres glandulae ſorores, duae glandulae ſorores, una glandula ſoror, novem fiunt glandulae, octo fiunt glandulae, ſeptem fiunt glandulae,

*) Recentius adhuc MORLEY (*on ſcrofulous diſorders*) verbenae radicem ſiccam in album linteum involutam de collo ſuſpendere ſerio ſuadet.

**) MARCELLUS p. 109.

†) ID. ibid.

lae, ſex fiunt glandulae, quinque fiunt glandulae, quatuor fiunt glandulae, tres fiunt glandulae, duae fiunt glaedulae, una fit glandula, nulla fit glandula *)." — Vix huc non retuleris nuperorum magnetiſmum animalem ad ſcrofulas quoque paſſim laudatum.

Diu multumque vana viguit opinio, omnes Galliae nec non Angliae reges ſolo tactu ſtrumas (intelliguntur tum ſtrumae iuguli, tum tumores cyſtici in collo, ipſaeque ſcrofulae) ſanare poſſe, dono miraculoſo non familiae regiae, ſed throni poſſeſſori divinitus conceſſo. Magna contentione ab utraque parte certatum, an Franciae an vero Angliae regi antiquior fuerit haecce facultas, & cuinam praecipue, quin excluſive competat. Gallorum regis defenſor fuit inprimis LAURENTIUS **); Angliae vero regis cauſam tuiti

*) IDEM p. 111.

**) De mira ſtrumas ſanandi vi ſolis Galliae regibus divinitus conceſſa L. I. — Cf. & ZENTGRAFF diſſ. I. & II de tactu regis Franciae, quo ſtrumis laborantes reſtituuntur. Viteb 1669 1675. GORDON Lil. med. GUIDO DE CAUL. chir. TAGAULTII inſtit. chir L. I. NAUGÉ de pignoribus ſanctorum, POLYDOR. VERGILIUS de inventor. rer, CASP. a REIES iucund quaeſtior. camp elys. quaeſt. 24. §. 31. Continuat. libri: ENGUERRAND DE MONSTRELET Chronique, ou hiſt curieuſe & intereſſante des choſes memorables arrivées de ſon tems; ADR LANGLOIS quaeſt med. Strumas ſanandi facultas regibus Galliae conceſſa eſt divinitus. Monſpel. 1618. ZACUT. LUSITANUS de med. princip. hiſtor. L. 1. hiſt. 84. Hiſt. des ſacres & des couronnements des Rois de France. Paris 1722.

tuiti ſunt GUIL. TOOKER *), Theologus & IO. BROWN **), — Hinc & morbus paſſim apud Gallos *le mal du Roi*, apud Anglos *Kings-evil* audit. Famoſam hanc vim, quam Galliae reges cruciato tactu prolatisque verbis: *Le Roi te touche & Dieu te guerit* exercuere, alii ***) a Chlodoveo, primo Gallorum Chriſtiano rege, alii a Roberto, nonnulli a Philippo †) in ſucceſſores manaſſe contendunt. FREINDIUS ††) talem vim Angliae regibus adſcriptam antiquiſſimam eſſe contendit. Plerique Anglorum illam inde ab Eduardo ſuo, Philippi I. Franciae regis coaetaneo, repetunt. — Cerimonias in utrorumque regum tactu adhiberi ſimul ſolitas, fuſius deſcribere ſuperſedeo. Legi illae poſſunt una cum multis aliis, quae hanc rem concernunt circumſtantiis, apud plures iam laudatorum aliosque †††) Auctores. — Etiam comites Habsburgienſes eos a ſtrumis liberaſſe dicuntur, qui potum aquae ab eorum manibus acceperint ††††).

MEA-

*) Chariſma ſ. donum ſanitatis ſ. explicatio quaeſtionis de dono ſanandi ſtrumas conceſſo regibus Angliae. Lond. 1597.

**) Adenochoiradologia ſ. de glandulis & ſtrumis. Lond. WISEMANNUS narrat, regem Angliae, Carol. II. tam in Anglia, quam in Belgio, plus quam mille homines tactu ſanaſſe. Cf. & RICH. CARR epiſt. med. Lond. 1691. ep. XIV.

***) LAURENTIUS l. c. Cap. 2. p. 10.

†) cf. RENARD ſur les ecrouelles, in praefat.

††) Hiſt. med. p. 357.

†††) SENNERT med. pract. L. II. P. I. Cap. 25. DOLAEUS encyclop. chir. p. 626. S. P. HILSCHER diſſ de cura ſtrumarum contactu regio facta. Ien. 1730.

††††) DOLAEUS l. c. p. 627.

MEADIUS *) ex politicis potiſſimum rationibus, quo nempe a populo magis ſuſpicerentur & divinitus regnum tenere crederentur, reges tactum ſtrumoſorum exercuiſſe, ſatis, ut videtur, vere aſſerit, conſentientemque habet WHITIUM **). Quidquid tamen horum ſit, tactum iſtum ſaepe ſaepius apparenter efficacem ſe praeſtitiſſe, crebrum negare vetat experimentum omnisque hiſtorica fides. Cuius quidem eventus cauſae ſequentes fere eſſe videntur. Primo evaneſcentiam ſcrofularum, quae in adoleſcentibus ſponte ſenſim fieri ſolet, fortaſſis vi tactus regii adſcripſerunt †). Forſan & interdum aliae fortuito accedentes cauſae ſcrofulas diſpulerunt, brevi praegreſſo tactu, aegrotique tunc erronee concluſerunt: *poſt hunc ergo propter hunc.* Porro mutatio aeris, motus corporis & agitatio viſcerum in itinere in Galliam eveniens plurimum praeſtare potuit, eo quidem magis, cum reges tactum inſtituerint aeſtatis tempore, aere calido ſiccoque exiſtente, qui ad curationem ſolus ſaepe ſufficit; & inſuper regem plerumque acceſſerint homines leviori ſolum ſcrofulae gradu affecti (quod refert WHITE) ſponte utplurimum ſaneſcente. Forſan etiam vis imaginationis, quae experientia docente haud paucos morbos curare valet, aliquid contulit, — certa fiducia, malum nunc ſanatum iri, indeque oriunda hilaritas, roborarunt corpus, digeſtionem emendarunt, excretiones promoverunt, quae

---

*) Monit. & praec. p. 328. ſq. verſ. german. MÜLLERI.

**) l. c. p. 3.

†) MEAD. l. c.

quae certe omnia medelam morbi inſigniter iuvant.

Iisdem modis effectus aliorum ſuperſtitioſorum ad ſcrofulas auxiliorum, quorum adhuc pauca quaedam notabo, ſi unquam talis vere obſervatus fuit, erit explicandus. Sunt, qui ſtrumis manum hominis mortui *), inprimis phthiſi defuncti applicare, ſunt quoque, qui ligulam ex corio humano collo circumponere ſuadent **). Alii curam quandam transplantatoriam laudant, cuius modum deſcribit HüNERWOLF ***); alii contactum pueri ſeptimi ab una matre ita nati, ut ſeries puellae partu haud interrupta fuerit ****). Nonnulli praedicant pretioſos quosdam lapides affectae parti appenſos †), aliave amuleta ††). Poſt frictionem cum ſanguine muris filique iſto imbuti ac collo ſuſpenſi geſtationem puellam a ſtruma eſſe liberatam, refert HAGENDORN †††). Sed ohe! iam ſatis ineptiarum congeſſi atque ut ſubſiſtam tempus eſt, licet facili opera catalogum huiuscemodi farinae remediorum adhuc augere potuiſſem.

§. 60.

---

*) Quales curationes narrant BEALE in M. N. C. Dec. II. ann. 2. obſ. 141. THOM. BARTHOLIN Hiſt. anat. rar. Cent. 3. hiſt. 66. Simile conſilium paullo ante ex Plinio notavi.

**) vid. HEISTER chir.

***) M. N. C. Dec. II. ann. 10. obſ. 53.

****) L. C. D. G. Traité de la gueriſon des ecrouelles par l'attouchement des ſeptenaires. Aix. 1643. 8.

†) WHITE l. c. p. 5.

††) v. c. ANDRY ap. BROUZET educ. med. des enfans. II. p. 227.

†††) M. N. C. l. c. ann. 5. obſ. 92.

§. 60.

Indicationes in cura ſcrofularum obſervandae.

Progrediamur iam ad rationalem ſcrofularum curam exponendam, incipiendo ab indicationibus therapevticis, quas cognita mali indoles ſuppeditat. Et principalis quidem indicatio foret, peculiarem illam ſyſtematis lymphatici praeternaturalem conſtitutionem, qua morbi eſſentia contineri videtur, in oppoſitam naturalem transmutare, — praeternaturales vaſorum oſcillationes humorumque motus, qui evolutionem morbi perficiunt, ita invertere, ut ſtatus ſanus inde exſurgat. At vero, cum diſtincta perverſae illius ſolidorum diatheſeos ſingularis idea careamus, nec, ſi illam cognitam prorſus atque perſpectam haberemus, remedium poſſibile videatur, quod directe illam ſubvertere, intimamque quaſi vaſorum ſtructuram immutare valeat; ex potiorum potius morbi phaenomenorum ratione indicationes deſumendae, iisque paeternaturalibus corporis ſtatibus, qui in hominibus ſcrofuloſis ſenſibus manifeſti ſunt, (§. 29.) auxilia accommodanda erunt. Quale quidem medicationis genus therapiae generalis praeceptis conſonum a iuſto tramite vix aberrare, ipſa experientia confirmat, cum eiusmodi remediis non morbi ſolum ſymptomata mitigentur, ſed quoque ſimul (in plurimis ſaltem caſibus) morboſa diatheſis ſenſim tollatur atque radicalis cura perficiatur.

Quae cum ita ſint, ad ſequentium fere indicationum normam medela ſcrofularum adornanda erit:

1) Removendae cauſae materiales, quae lympham ſpiſſarunt morbique evolutionem promoverunt,

runt, vel continuum malo nutrimentum ſubminiſtrant, vel remediorum actionem impediunt, conturbant, depravant, vel denique tanquam acceſſorium malum peculiarem attentionem ſibi vindicant & ſecundariam indicationem praebent.

2) Attenuandi, ſolvendi, ſpiſſi coagulatique humores, glandularum infarctus expediendi. Remediis hinc reſolventibus, fundentibus, deobſtruentibus pugnandum.

3) Acrimonia peculiaris humoribus, praeſertim lymphae inhaerens (ſiquidem fieri poſſit) corrigenda, emendanda, vel — uti & tenax glandulas infarciens materies deliquantibus remediis ſenſim reſoluta — quibuscunque viis excretoriis e corpore eliminanda.

4) Denique roborantibus corpori proſpiciendum, quo ſolidorum, inprimis quoque ſyſtematis lymphatici, vigor atque tonus reſtituatur, augeatur, illaque hinc nocivis impreſſionibus fortius reſiſtant talesque forſan motus atque oſcillationes concipiant, quae morboſum characterem paulatim delere valeant.

Quae quidem indicationes ad curationem morbi univerſalis, praeſertim internam ſpectant. Aliae externam topicam tumorum ulcerumque tractationem concernunt, de quibus vero infra demum faciemus ſermonem.

§. 61.

De prima indicatione ſpeciatim ſive de cura praeparatoria.

Inter cauſas materiales primo certe loco nominari meretur primarum viarum colluvies. Vix non omnes ſcrofuloſi, praeſertim infantes ac pueri, in-

inteſtina infarcta habent ſaburra pituitoſa, viſcida, acida, corrupta, flatulenta, inſuper in plerisque caſibus ſcatent vermibus. Quarum quidem ſordium exturbatio prima medentis cura eſſe debet. Vitiorum quippe in primis viis haerentium mira & latiſſime patens in morbis progignendis facultas ab omnibus medicis agnoſcitur; & tam certum eſt, quam quod certiſſimum, prima evolutionis cachexiae ſcrofuloſae incunabula in iis quoque eſſe quaerenda. Viſcida, glutinoſa, acida ſaburra ex virium gaſtricarum languore & digeſtricis officinae imbecillitate ſenſim accumulata lympham inquinavit, corrupit, inſpiſſavit, & ni ſubigatur, eliminetur, everratur, continuum morbo augmentum addit atque medicaminum infringit vel conturbat efficaciam. AETIUS *) probe iam perſpexit, in ſcrofularum cura primas vias non nenegligendas eſſe, inquiens: *in ſcrofulis alvum facilem reddi tenuemque victum adhiberi oportet, vomitumque aſſidue provocare & per os pituitam ducere.*

Scrofula meſenterica laborantes inprimis ſaburrae primarum viarum ingentem vim cuſtodiunt, repetitis hinc evacuantibus quam maxime indigent; non adeo ſcrofula proprie dicta affecti. Neque in mali initio vel in levioribus affectibus ſcrofuloſis canalis alimentaris ſordibus adeo obrutus eſt, ac in morbo magis inveterato vel ad inſigniorem provecto gradum. Semper interim e re erit, uno aut altero evacuante praemiſſo inchoare curationem, quia vix unquam ſatis pura

 eſt

*) T. III. L. XV.

eſt digeſtionis officina in infantibus quantumvis exiguo gradu ſcrofuloſis.

Signa vero ſaburrae pituitoſae, glutinoſae, primas vias (quin totum corpus) obruentis ſequentia fere in ſcrofuloſis obſervantur. Conſtitutio corporis laxa, frigida, inſenſilis, abdomen tumidum, facies pallida, cachectica paſſim inflata, pulſus exiguus, debilis, tardus, reſpiratio lenta, debilis, urina vix olens, tenuis, limpida vel albeſcens, ſaliva lenta, ructus inſipidi, vomitus pituitoſus, alvus tarda, excrementa alvina mucoſa, albida, parum foetentia, ſanguis e vena miſſus pallidus, in placentam ſtriis mucoſis pictam vel mucoſa cruſta obductam concreſcens. Lingua porro inprimis tempore matutino ſorde alba viſcida obducta cernitur, nonunquam & os atque fauces. In infantibus quidem omnibus, licet ſaniſſimis, tenuis alba pellicula utplurimum linguam obducit, ſed haec facile ab exercitato diſcernitur a craſſiori illa pituitoſa cruſta. Saepe etiam lingua pura eſt, licet inteſtina ſordibus plane turgeant, quod tunc ex reliquis ſignis dignoſcitur. Si febricula iam urget hectica, rubicunda utplurimum & puriſſima apparet lingua. — Parum aegroti ſitiunt. Appetitus vero ciborum, licet alias in pituitoſa primarum viarum colluvie proſtratus ſit, in ſcrofuloſis tamen infantibus, utut viſcida ſaburra farctis, inſigniter plerumque auctus (§. 16) obſervatur. Poſt largiorem tamen paſtum, qui propter digeſtionem depravatam ſolummodo auget ſaburram, ſenſum preſſorium in ventriculi regione haud raro conqueruntur, nauſea quoque & anorexia ſubinde cum addephagia alternant. Ceterum ſenſus quidam repletionis in regione epigaſtrica, capitis dolor obtuſior,

ipſa

ipſa demum diaeta viſcidum ingenerans ad ſigna pituitoſae ſaburrae referri adhuc poſſunt.

Aſt non ſemper unius eiusdemque indolis eſt pituita. Alias ad putrilaginem inclinat, inprimis, ſi vermium ſimul ſoboles inteſtina inhabitat, — alias acido iuncta, alias demum fatua eſt & praeter tenax viſcidumque nullum involvit vitium.

Vermes in infantibus ſcrofuloſis abdomine turgido conſpicuis vix non ſemper latere, absque erroris metu concludimus. Hinc & plura, quae potius ad cachexiam ſcrofuloſam pertinent, ſymptomata, pro vermium ſignis communiter habentur, ſcilicet pallor faciei, pupilla dilatata nigra, narium pruritus & frequens ſternutatio, copioſus ſalivae affluxus, praeſertim matutinus, febricula lenta, vaga, tumor oedematoſus alarum naſi, labii ſuperioris & partis adiacentis genarum, (HOME) ophthalmia, imi ventris tumor ac durities, flatulentia, emaciatio, addephagia &c. — Huc monitum KAEMPFII *) quadrat, plura vermium ſigna vulgo dicta potius ad ſaburram inteſtinalem pituitoſam, corruptam ſpectare. Ceterum vermium praeſentiam multa adhuc alia ſymptomata ex irritatione, quam inducunt, derivanda, hic non fuſius enarranda, ſatis arguunt, ipſaque eorundem excretio indubitato demonſtrat.

Corruptam atque putrilaginoſam eſſe ſaburram, conicitur ex halitu oris nauſeoſo, foecis alvinae foetore inſolito, pulſu citatiori magisque irritato, ſiti, torminibus &c. Talis ſaburra vix non ſemper vermibus iuncta eſt.

 Si

*) *Abhandl. von einer neuen Meth. &c, p. 152. ſq.*

Si puerorum ſcrofuloſorum primae viae ab acido moleſtantur, hoc plerumque in pituitoſi viſcidique connubio adeſt. Signa ſunt lotium virideſcens vel ex albo turbidum, (§. 22) oris & excrementorum, quin totius corporis foetor acidus, ructus, vomitus acidi, tormina, morſus ventriculi, fames ſine ſiti, excrementa pallide flava vel albida ſtriis luteis, nonunquam & ſanguineis intermiſta, vel aeruginoſa viridia, pulſus debilis, habitus pallidus frigidus, albida cuticula linguam atque os obducens.

Pro diverſa ſaburrae qualitate remediorum delectus quodammodo variare debet.

Conſuetudo apud medicos non ſine ratione
invaluit, ſordes primarum viarum tenaciores ante
evacuantium uſum ſolventibus variis reddere mo-
biliores atque ad eiectionem magis paratas. Sed
hoc in noſtris aegris haud adeo neceſſarium vide-
tur; ſufficitque utplurimum unum alterumve pur-
gans, pro indicatione anthelminthicis iunctum,
absque praeparatione exhibitum, praemiſſo, ſi
opus eſt, vomitorio. Quippe cura proprie anti-
ſcrofuloſa incipienda eſt remediis infarctus & ob-
ſtructiones reſolventibus, quae hinc eo ipſo quo-
que tenacem in canali alimentari forte reſiduam
ſaburram meabilem reddunt, & dein evacuantia
interpoſita in ſcrofularum cura haud evitanda fa-
cile illam ſucceſſive exturbant. Si interim inſig-
nis pituitae vis primas vias obruat, in cura quo-
que praeparatoria e re erit, evacuantibus per ali-
quot dies medicamina praemittere, ſordes redden-
tia mobiliores; v. c. mixturam ſalinam cum pauco
tartaro emetico &c. Verminoſae colluviei exi-
mie accommodatum eſt electuarium anthelmin-
thicum Stoerkii, viſcidum reſolvens, purgans
ver-

vermes pellens, vel, quod efficacius adhuc eſt, electuarium ex ſem. ſanton. valerian. Sal ammon. Ialapp. aethiop. mineral. & oxym. ſquillit. addito inſuper, ſi placet ſyrupo gratiori v. c. rub. id. conflatum, quo commode curationem infantum ſcrofuloſorum pituitoſa & verminoſa colluvie ſcatentium inchoare poſſumus, cum plerique infantes hoc medicamenti genus haud reformident, nec ingerere multum recuſent. Si vero acidum inprimis urgeat, mercandum eſt abſorbentibus, alcalinis aliisque antacidis. BORDEVIUS poſt exhibita purgantia & emetica propinare ſuadet terrea, cum his acidum temperetur, alvus ob coniunctionem acidi cum terreo non raro moveatur inſimulque actio ventriculi & inteſtinorum reſtituatur & excitetur. Alias ſatius eſt praemittere antacida evacuantibus vel cum his coniungere. Solutio ſalis tartari vel ſaponis veneti in Tinct. Rhei connubio, pulvis ex magneſia alba vel etiam lapp. cancrorum & rhabarb. nec non extract. amar. fel. taur. inſpiſſ. &c. hic fere maxime conveniunt. Generatim vel iungi poſſunt, ſolventia, anthelminthica, antacida, cum purgantibus, vel per aliquot dies ſola aſſumi & tum ſubiungi purgans ialappinum, mercuriale, rhabarbarinum, ſalinum, ex foliis ſennae paratum vel aliud pro re nata. — Cum inteſtina infantum ſcrofula meſenterica laborantium flatibus plerumque inſigniter expanſa ſint, haud incongruus quoque foret uſus medicamentorum flatum ventris abſorbentium nuper *) celebratorum, videlicet magneſiae calcinatae,

*) Cl. LEONHARDI Pr. de medicamentis flatum ventris abſorbentibus, Vit. 1784. Cl. KECK *Abhandl. und Beobacht.* 1787. p. 23. ſq.

cinatae, alcali volatilis fluidi, aquae calcis &c. Eadem de cauſa praeparantia & evacuantia remedia cum carminativis lenioribus miſceri ſolent.

Si tum demum ad curandos ſcrofuloſos accedimus, quando iam hectica aut phthiſica febris corpus depaſcuit, facile apparet, propoſitae methodo praeparatoriae locum non eſſe, licet & tunc ad ſymptomatum mitigationem abſolute neceſſarium ſit, ut colluvies primas vias obruens caute removeatur. — Si iam diarrhoea adfuerit, haec tractanda cauteque moderanda rhabarbarinis, abſorbentibus terreis, (inprimis ſi aciditatis indicia ſe oſtendant) leniter cohibentibus, quin ſi nimium enervet, ipſo opio. Colliquativa ex glandularum meſentericarum exulceratione ſi fuerit diarrhoea, vix medela, niſi palliativa, poſſibilis eſt. — Febres, diarrhoeae, tuſſes &c. pueros ſcrofuloſos corripientes, interrumpunt quoque interdum curationem antichoeradicam, cum iſti affectus congruis remediis tollendi ſint, antequam in remediorum ſcrofulas oppugnantium uſu pergere liceat.

Obiter iam expurgatis primis viis, diſpiciendum eſt, an etiam venaeſectio requiratur; quam plus minus reiteratam inter remedia adverſus ſcrofulas primo loco commemorat MAJAULT *), nec non MEAD **). Quod quidem conſilium haud reiiciendum putaris, ſi ſuborta narium haemor-

---

*) Prix de l'ac. de chir. l. c. p. 325.

**) l. c. p. 324.

morrhagia quandoque malum ceſſare perpenderis. (§. 57.) Attamen caute procedendum circa ſanguinis miſſionem in ſcrofuloſis, eamque in iunioribus nunquam neceſſariam, tantum non ſemper noxiam eſſe merito dixerim. Cl. WHITE *), licet in primo ſuo ſcrofularum ſtadio diatheſin inflammatoriam adeſſe doceat, (§. 24.) raro tamen inflammationem tantam eſſe pergit, ut venaeſectio permitti poſſit. Scrofuloſi vix unquam plethora vera laborant, ſanguinem potius mucoſum totumque corpus phlegmate exundans habent, praeterea omnes debilitatis notas prae ſe ferunt, in pleriſque caſibus infantes vel pueri ſunt, inſuper ſaburra primas vias obruens ſanguinis miſſionem vetat. Vix unquam phlebotomia inſtar haemorrhagiae narium ſalutaris a natura excitatae eſſe poterit, inprimis cum ſaepius ſymptomatica, quam critica ſit epiſtaxis in ſcrofuloſis. (§. 23.) Interim admitti, quin neceſſaria eſſe poteſt venaeſectio in adultioribus, qui plethora vera laborant, nec inerti pituita corpus farctum habent, praeſertim calore febrili, ex diſpoſitione inflammatoria, urgente **), in tuberculorum viſcera nobiliora, v. c. pulmones obſidentium inflammatione, tum quoque, ſi ad reſolutionem infarctuum ſcrofuloſorum remedia exhibituri ſimus, quae valde exaeſtuant & calefaciunt, item, quando ſueti fluxus ſanguinei ſuppreſſi glandularum tumeſcentiae anſam dedere.

Ad

*) l. c. p. 65.

**) BALL (New practice of phyſic) niſi calor febrilis urgeat, Ven. Sect. in ſcrofuloſis neceſſariam non iudicat.

Ad curam praeparatoriam porro pertinet, ut cauſae antecedentes & occaſionales omnes quantum fieri poteſt removeantur, ne earum perdurans actio novum ſemper pabulum morbo ſubminiſtret & medentis conamina irrita reddat. Diaeta hinc, de qua alibi ex inſtituto praecipiemus, ſtatim in curationis initio curate ordinanda. Si criticae materiei ſcrofuloſae evacuationes v. c. ſcabies capitis, herpes &c. ſuppreſſae fuerint, hae remediis alibi notandis revocentur. Qualescunque aliae excretiones impeditae reſtituendae. Nec negligenda vitia peregrina cum ſcrofulis complicata. Sic ſyphilis iuncta privis ſibi remediis debellanda, antequam ad antichoeradica accedamus *). In ſcrofula arthritica antarthriticis cauſa, quae diatheſin ſcrofuloſam in actum duxit, removenda & ſ. p. Quae quidem omnia, quomodo & quibusnam remediis fieri debeant, exponere, partim ab inſtituto noſtro alienum eſt, partim in tractationis progreſſu paſſim occaſio dabitur.

§. 62.

De electione remediorum antiſcrofuloſorum & alia quaedam monita practica.

Quod ad curationem ipſius vitii ſcrofuloſi attinet, indicationes huc pertinentes ſupra (§. 60. n. 2. 3. 4.) iam retulimus. Ordine autem aliquo hic eſt procedendum. Scrofulae enim morbum inter fluidorum & ſolidorum labem mixtum conſtituunt, atque indicatio, quae ſpiſſos ſolvere humores ac diluere iubet, iuncta eſt cum altera, quae

*) I. HUNTER *vener. Krankh.* p. 634.

quae emendationem debilitatis ſolidorum exigit. Neceſſarium hinc omnino eſt, ut remedia utrinque militantia inveniantur, reſolventia videlicet, & roborantia ſimul exhibeantur. Cum vero haec ſibi quodammodo contraria ſint, ea methodus in plerisque caſibus ſervanda, ut praemittantur reſolventia, deobſtruentia, his interpolentur evacuantia, & tum demum propinentur roborantia, initio ſolventibus iuncta, dein ſola. Quodſi enim ſtatim ab initio obſtructionibus valde confirmatis mera opponerentur roborantia, illae magis adhuc confirmarentur, tenacesque humores in maiorem adhuc ſpiſſitudinem cogerentur. Qualis error certe ex cauſis eſt, cur cortex peruvianus, qui debita methodo datus eximium ſcrofularum remedium conſtituit, a tam multis vituperatur.

Tantum tamen abeſt, ut diverſa remediorum, quae in ſcrofuloſo morbo indicantur, genera, ſibi prorſus contradicant, ut potius in plurimis caſibus iunctim propinata egregium uſum exſerant. Roborantia tonica reſolventibus admixta, — praeſertim ſi his per aliquot tempus ſolis exhibitis infarctus mobiliores paulo redditi fuerint, — oſcillatorium vaſorum motum augendo, impactorum hinc propulſionem iuvando, effectum eorum eximie ſecundant; eo quidem magis, cum in morbo ſcrofuloſo ſolidorum atonia praecipua fere infarctuum cauſa videatur. Quare & Cl. DIEL *) in ſcrofulis reſolventia remedia nunquam

*) ap. WHITE p. 134.

quam ſine balſamicorum, roborantium, digeſtionis vires totumque ſyſtema nervoſum invigorantium connubio exhibere ſuadet. — Quin dantur caſus, ubi inde ab inito roborantia ſola conveniunt. Plura praeterea remedia ad ſcroſulas laudata roborantem & reſolventem virtutem ſimul cuſtodiunt, alia reſolvunt ſimulque excretiones promovent, alia demum effectum quendam exſerunt, qui inter roborantem, reſolventem, evacuantem mixtus videatur; veluti poſtea in ſpeciali recenſu apparebit.

Regulis nunc quibusdam generalioribus determinare allaborabimus, cuiusnam generis remediis pro caſuum varietate potiſſimum mercandum ſit. — Ubi obſtructiones pertinaciores frigidique infarctus eminent, quod cognoſcitur tumido ac indurato abdomine, glandularum tumidarum multitudine, diuturna morbi duratione, acrimoniae atque irritationis ſolidorum ſymptomatibus parum urgentibus, ibi efficacioribus potiſſimum reſolventibus deobſtruentibusque pugnandum, cauteque tonicorum praepoſterus uſus vitandus eſt. — Interdum cachexia univerſali prorſus fere ſublata, locales quidam mali effectus obſtructionem involventes, frigidi ſcil. glandularum infarctus, nec non cyſtici tumores, in collo inprimis, reſtitant. Hic prae aliis remediis efficaces ſunt pulveres ſic dicti ſtrumales vel etiam ſimplex ſpongia uſta. — Quandoque in ſcrofuloſo morbo eminere videtur acrimonia, veluti cognoſcas fere ex ulcerum frequentia, ophthalmia, narium fluxu excoriante, affectibus cutaneis, herpete, capitis ſcabie &c. dum interim inertis pituitae univerſum corpus obruentis atque infarctuum frigido-

frigidorum ſigna haud adeo luculenta ſunt. Hic potiſſimum conducunt, quae acrimoniam corrigunt vel e corpore eliminant. Acidum perſaepe in ſecundis quoque ſcrofuloſorum viis latet, quod emendatur alcalinis aliisque antacidis. Sed etiam acrimonia proprie ſcrofuloſa dicta in ſpecificam quaſi indolem exaltata a remediis quibusdam quodammodo corrigi videtur. Alia illam per varia colatoria, inprimis per diureſin paulatim evacuant & quaſi elutriunt. Huc quoque quodammodo pertinent ulcera artificialia. — Quando laxitas debilitasque praedominatur, nec infarctus frequentes & confirmati adſunt, roborantia ſtatim ab initio omnem paginam abſolvunt, quibus haud raro incipiens cachexiae ſcrofuloſae evolutio prohiberi poteſt. Scite ait Cl. DIEL *): *Da wo die erſte Quelle, die Atonie der feſten Theile noch nicht ſolche Producte gebildet und realiſirt hat, daſs wir der erſten Quelle noch mit Mitteln beikommen können, da iſt jedes ſtärkende Mittel wichtiges Indikat.* — Interdum omnis generis ſymptomata inter ſe mixta ſunt aequaliter, nec unus alterve character praevalet. Quo in caſu diverſis indicationibus congruo paulo ante dicto ordine ſatisfaciendum. — Sed impoſſibile fere eſt, omnes caſuum varietates iisque accommodandam medendi rationem adaequate determinare, cum in quolibet fere ſubiecto alia ſit morbi facies; ſpecialiſſimam hinc medendi methodum practicum medici iudicium ſuggerere debet. Multa tamen, quae huc ſpe-

*) l. c. p. 136.

ſpectant, in ſpeciali remediorum recenſu, exponendi occaſio erit.

Ad ſtadiorum morbi ſcrofuloſi regularem quendam decurſum abſolventis (qualem inprimis in ſcrofula proprie dicta obſervamus) rationem quodammodo etiam reſpiciendum eſt. Quippe in tertia noſtra periodo, (§. 24.) qua glandulae inflammari incipiunt ſimulque utplurimum totum corpus in ſtatu quodam irritato eſſe, ſyſtema inprimis lymphaticum diatheſin inflammatoriam fovere videtur, cautos nos eſſe oportet circa heroica reſolventia, maxime, ſi glandulae internae nobiliorum viſcerum in inflammationem & exulcerationem proclives videantur. Cl. DIEL *) in inflammatoria atque ſuppuratoria ſcrofularum periodo pleraque reſolventium exitioſa eſſe docet, ſolamque ſaepe aquam Selteranam cum extracto graminis & taraxaci a ſenſibilibus corporibus perferri. Neque tunc cortex peruvianus ceteraque tonica remedia quadrant. Irritationis vero univerſalioris ſymptomatibus ſenſim imminutis pluribusque externarum glandularum iam ſuppuratis, pro indicatione reſolventibus ac roborantibus mercari iterum licet. Notandum quoque, in plurimis caſibus ſcrofularum inflammationem tam lente procedere indeque oriundam irritationem tam exiguam eſſe, ut curationis tramitem interrumpere vix neceſſarium ſit, inprimis, ſi externae ſolum ſcrofulae in ſtatu inflammatorio eſſe videantur, quod experientia docente in iuniorum ſcro-

*) l. c, p. 134.

ſcrofula proprie dicta ſaepiſſime locum habet. — Cogitemus unam alteramve glandulam lentiſſime inflammari & maturari, poſt plures demum hebdomades novam glandulam inflammationem concipere & ſ. p. Anne in hoc caſu ſtimulo potius eget natura ad ſuppurationem eo felicius perficiendam?

BORDEVIUS praecipit, cum ſcrofulae genus quoddam motuum ſanguinem depurantium conſtituant, ſuamque ſucceſſivam evolutionem criſibus variis terminatam habeant, inſuper experientia docente non niſi ſumma cum cautione remedia, cuiuscunque generis ſint, adhibere liceat, eapropter ſatius eſſe, morbum, usque dum certum gradum attigerit, haud turbare, quoniam noxium foret, in tali ſtatu celeres inducere mutationes. SAUVAGES fruſtraneam ſaepe ſtrumarum curationem eſſe innuit, (de ſcrofula proprie dicta loquitur) „quandoquidem, ſi ſimplices ſint, non exulceratae, eas attingere vanum ſit, ſaltem cum ſucceſſu temporis, dum adoleſcit corpus, ſponte diſceſſurae ſint.“ — At vero, licet leviores illos affectus ſcrofuloſos infantum, qui fere absque innata diſpoſitione oriuntur, (quorſum pertinent glandulae puerorum colli tumefactae a quibusdam dictae, ſcrof. fugax SAUV. &c) nullius momenti eſſe haud repugnem, multamque medicationem in iis ſuperfluam plane iudicem, initia tamen evolutionis cachexiae ſcrofuloſae verioris ex haereditate innatae minime eſſe negligenda vel ipſum adeo primum alterumve mali declarati gradum vilipendendum, ſummopere ſuadet huius vitii pertinacia numeroſaque malorum, quae inde

 progerrogr-

progerminare poſſunt, cohors *). Si principiis obſtamus atque congruis remediis in energia corporis mature mutationem quandam ſalutarem producimus, auſpicato ſaepe morboſus character deleri eiusque ulteriori evolutioni obex poni poteſt, quod eo aegrius ſuccedit, quo altiores iam egit radices. Dixerit quispiam, criticum motum haud turbandum eſſe. Concedo lubenter. Minime enim externi glandularum tumores incaute repellenti-

*) Sed quomodo diſcernas prima ſcrofulae proprie dictae ex haereditate innatae initia a leviori illo glandularum in pueris morbo? Haud ſemper facile hoc eſt. (cf. §. 24. Gradus I.) Curo iam iuvenem, qui inde a tribus ſeptimanis languorem, dolores interdum per corpus leviter oberrantes, digeſtionis vitiatae ſymptomata &c. conqueritur, ſimulque plures colli, nec non axillares glandulas tumefactas habet. Patrem phthiſi obiiſſe comperi atque per totum huius morbi decurſum pertinaci glandularum colli induratione afflictum fuiſſe. Metuo hinc & in filio ingruentem ſcrofuloſam phthiſin haereditariam, inprimis cum glaberrima ipſi facies (cf. § 42.) teneriorque corporis ſtructura ſit. Hunc iuvenem verum vitium ſcrofuloſum in corpore alere alteque impreſſum habere mali characterem dubium non eſt, inſuper cum plures cognatorum multifaria labe ſcrofuloſa, etiam articulorum malis & quidam rhachitide laboraverint vel adhucdum laborent. Nihilominus in prima iuventute affectus ſcrofuloſos pertinaciores haud oſtendit, ſed leviculam ſolummodo glandularum colli tumeſcentiam cum ſcabie capitis &c. quae in mille infantibus absque ulla noxa eveniunt, nec labem alte impreſſam arguunt. — Optimum hinc erit, nullum, & ne leviſſimum quidem affectum ſcrofuloſum in infantibus prorſus negligere, maxime vero attentum eſſe, ſi in familia malum, tanquam gentilitium, regnare conſtiterit.

lentibus diſcutiendi ſunt nec inconſiderate ſiccandae materiae ſcrofuloſae per cutim excretiones a natura concitatae Medela vero, quae per interna potiſſimum remedia vitium ſcrofuloſum aggreditur eiusque characterem corpori impreſſum delere tentat, criticos motus non turbat, ſed radicitus ipſum malum evertit, propter quod, ſi reſtitaret, critici motus neceſſarii eſſent *). — Ex hucusque dictis apparet, quid ſentiendum ſit de conſilio Dn. GOURSAUD, infantibus ſcrofuloſis medicinam minime faciendam, ſed annos potius pubertatis exſpectandos, tumque, ſi non ceſſarit malum, remedia exhibenda eſſe. Sapientius profecto ait WHITE **): „Nullum novi morbum, in quo artis axilium magis neceſſarium, ſique prudenter adhibeatur, aegrotis magis ſalutiferum ſit, quam ipſas ſcrofulas."

Curationi per longum tempus inſiſtendum atque tum medici, tum aegroti multa patientia opus eſt, ſi in ſcrofulis aliquid proficere velimus. Vix enim exſpectari poteſt, cachexiam tam alte radicatam brevi temporis ſpatio emendatum iri. Cautos tamen nos eſſe oportet circa diuturniorem remediorum reſolventium uſum, cum inde facile cachexia augeatur nec character fundamentalis tollatur. Prudenter hinc illis roborantia tonica interponantur vel iungantur et univerſim regulae in ſingulorum medicaminum uſu obſervandae

*) Cf. DIEL l. c. p. 119.

**) l. c. p. 63.

dae in ſpeciali recenſu tradendae haud negligantur.

Si fieri poteſt, calidiori tempeſtate, ergo aeſtatis tempore radicalem curationem potiſſimum moliri convenit, cum ea tunc longe facilior ſit, quin ſponte utplurimum inſigne morbi levamen eveniat.

Series

Series Argumentorum
Tomi primi.

Pars prima, Pathologica. p. 21.

Introductio. p. 23.

§. 1. Succincta acutorum morborum cum chronicis comparatio. ib.

§. 2. Quanam ratione iuxta cauſarum conſtituentium differentiam in claſſes quasdam generaliores diſtribui queant morbi diuturni. p. 27.

Sectio prima. Morbi notio, variae appellationes, diſtinctio ab aliis, diviſiones. p. 33.

§. 1. Scrofularum notio. ib.

§. 2. Variae ſcrofularum appellationes. p. 35.

§. 3. Quinam morbi paſſim apud Auctores ſcum ſcrofulis male confundantur. p. 40.

§. 4. Quanam ratione ſtrumae a ſcrofulis apud varios Auctores diſtinguantur. p. 48.

§. 5. Diviſiones variae ſcrofularum iuxta externum tumeſcentiarum habitum. p. 51.

Sectio ſecunda. Scrofularum ſymptomatologia. p. 53.

§. 6. Tumeſcentiarum deſcriptio. Ib.

§. 7. Loca, quae prae reliquis occupare ſolent ſcrofulae externae. p. 60.

§. 8. De ſcrofulis meſenterii aliisque internis. p. 65.

§. 9. Vitium ſcrofuloſum non lymphaticis ſolum ſed omnis generis glandulis infeſtum eſſe. p. 76.

§. 10. De tumoribus cyſticis ſcrofuloſis. p. 83.

§. 11. Sectiones cadaverum. p. 86.

§. 12. Diagnoſis ſcrofularum. Habitus ſcrofuloſus. p. 89.

§. 13. Criteria dyſcraſiae ſcrofuloſae ſigillatim dilucidantur. p. 93.

§. 14. Continuatio. Signa cachexiae ſcrofuloſae in facie & oculis. p. 97.

§. 15. De ventre tumido ſcrofuloſorum. p. 106.

§. 16. Matura animi perfectio. Addephagia. Salivae colluvies. p. 110.

§. 17. Alia quaedam ſymptomata. p. 115.

§. 18. Duplex forma praecipua, qua ſe oſtendere ſolet vitium ſcrofuloſum, leviter adumbratur. p. 119.

§. 19.

§. 19. De atrophia infantum. p. 126.

§. 20. De ſcrofula fugaci *Sauvageſii*, nec non de ſtruma & ſcrofula *Wartboni*. p. 133.

§. 21. Febris varia ad ſcrofulas accedere ſolita. p. 135.

§. 22. Lotium, alvi fluxus, cutanea excretio ſcrofuloſorum. p. 139.

§. 23. Haemorrhagiae. p. 143.

§. 24. Morbus ſcrofuloſus in gradus quosdam ſeu ſtadia diſpeſcitur. p. 147.

§. 25. Mutationes & exitus tumorum ſcrofuloſorum. p 153.

§. 26. De ſcrofulis malignis &c. p. 158.

§. 27. Vitae periodus, qua ſcrofulae potiſſimum affligunt. p. 163.

§. 28. Quatenus ſequior ſexus ſcrofulis praecipue obnoxius. Analogi quidam morbi in animalibus brutis occurrentes. p. 169.

Sectio tertia. De ſcrofularum indole & cauſis. p. 173.

§. 29. Generalia quaedam circa naturam vitii ſcrofuloſi. ib.

§. 30. Veterum medicorum, *Hippocratis, Galeni &c.* de natura ſcrofularum ſententia. p. 180.

§. 31. Doctrina *Wiſeſii* & *Gameti* de ſcrofularum natura. p. 183.

§. 32. Quosdam vitium ſcrofuloſum pro ſyphilidis ſobole habere. p. 184.

§. 33. Syphiliticae ſcrofularum origini repugnat earundem antiquitas. p. 187.

§. 34. Alia contra ſyphiliticam ſcrofularum originem argumenta. p. 193.

§. 35. Sententia Cl. *Selle* paucis perpenditur. p. 198.

§. 36. An morbus ſcrofuloſus ab acido lympham coagulante? p. 203.

§. 37. An peculiare miasma ſcrofuloſum exiſtat? p. 213.

§ 38. An multiplex ſcrofularum indoles? p. 221.

§. 39. An ſolum partium ſolidarum vitium ſcrofulas conſtituat? p. 228.

§. 40. Generalia quaedam de ſcrofularum differentiis, ratione cauſarum & ortus. p. 233.

§. 41. Rhachitidis aliorumque quorundam affectuum cum ſcrofuloſo vitio analogia oſtenditur. p. 236.

§. 42. De ſcrofulis complicatis & ſpuriis ſpeciatim & quidem primo loco de affectibus ſcrofuloſis poſt variolas. p. 244.

§. 43. Tumeſcentiae glandularum poſt morbillos, ſcarlatinam alioſque febriles morbos. p. 257.

§. 44. Tumores glandularum catarrhales & a refrigerio oriundi. p. 261.

§. 45. Glandularum tumores a cauſa ſanguinea, metaſtaſi lactis, abundantia lymphae. p. 265.

§. 46. Glandularum tumores venerei, arthritici &c. p. 269.

§. 47.

§. 47. Glandularum tumores in phthiſi laborantibus, a cauſa externa violenta, pluresque alii. p. 274.

§. 48. De cauſis ſcrofularum praediſponentibus, inprimis diſpoſitione ad illas haereditaria. p. 279.

§. 49. Ponderantur aliae quaedam ſcrofularum cauſae proëgumenae. p. 293.

§. 50. Cauſae ſcrofularum procatarcticae. Ingeſta. p. 298.

§. 51. Continuatio ſermonis de ingeſtis, tanquam cauſa ſcrofularum occaſionali. p. 307.

§. 52. Medicamina, Venena, infarctus glandularum cauſae. p. 313.

§. 53. Pravae aeris qualitates. Immundities. p. 318.

§. 54. Excreta & retenta. p. 325.

§. 55. Aliae quaedam cauſae occaſionales. p. 331.

Sectio quarta. p. 337.

§. 56. Morbum ſcrofuloſum non levem, ſed gravem & periculoſum ſaepe eſſe oſtenditur. ib.

§. 57. Gravioris levioriſque morbi, periculi atque ſalutis ſigna quaedam. p. 344.

Pars ſecunda. Therapiam ſcrofularum pertractans. p. 357.

Sectio prima. Generalia quaedam circa ſcrofularum medelam, nec non de cura praeparatoria. p. 359.

§. 58.

§. 58. Medelae ſcrofularum difficultates. p. 359.

§. 59. Rebellis mali indoles ad ſuperſtitioſorum remediorum uſum invitavit homines. p. 365.

§. 60. Indicationes in cura ſcrofularum obſervandae. p. 373.

§. 61. De prima indicatione ſpeciatim ſive de cura praeparatoria. p. 374.

§. 62. De electione remediorum ſcrofuloſorum & alia quaedam monita practica. p. 382.

Im Verlage der Meyerſchen Buchhandlung in Lemgo ſind zur Jubilate-Meſſe 1789 folgende neue Schriften fertig geworden.

Batrachomyomachia graece edidit A. C. Borheck. 8.

Beſchreibung des Landes Kamtſchatka, mit Kupfern und Charten, 2te Auflage. gr. 4.

Black's, D. Entwurf einer Geſchichte der Arzneywiſſenſchaft und der Wundarzneykunſt, aus dem Engliſchen von J. C. F. Scherf. gr. 8.

Buhle, J. G. Grundzüge einer allgemeinen Encyclopädie der Wiſſenſchaften, zum Gebrauch für akademiſche Vorleſungen. 8.

Hezels, W. Fr. ſyriſche Sprachlehre, durchaus nach ſeiner Hebräiſchen eingerichtet, zum Gebrauch ſeiner Zuhörer, nebſt den nöthigen Paradigmen in Tabellen. 4.

Hezel, Guil. Frieder. Carminum Arabicorum ſpecimen I. Scholis ſuis Arabicis deſtinavit. 8 maj.

Hißmann, weil. Michael, Magazin für die Philoſophie und ihre Geſchichte, aus den Jahrbüchern der Akademien angelegt, fortgeſetzt von J. H. Pfingſten, 7ter Band. 8.

Hoder-

Hodermann, G. H. Doctrina practica de Actionibus & Exceptionibus &c. Tom. II. 8 maj.

Kortum, *D.* C. G. T. Commentarius de Vitio ſcrofuloſo quique inde pendent morbis ſecundariis &c. Tom. I. 8 maj.

Magazin, weſtphäliſches, zur Geographie, Hiſtorie und Statiſtik, von P. F. Weddigen, 15. 16tes Heft. 4.

Meuſel, J. G. teutſches Künſtlerlexikon, 2ter Theil. gr. 8.

Roſcher, J. P. gemeinnützige Rechenbuch zur Selbſtübung, vornemlich zum Schulgebrauch, nach verſchiedenen Geldſorten, hauptſächlich Thalern, Gutengroſchen, Mariengroſchen, Stübern, Kreutzern und Pfenningen, nebſt einer Anleitung für Lehrer, zum Gebrauch deſſelben. 4.

Samlung merkwürdiger am kaiſerlichen Reichs-Kammergericht entſchiedener Rechtsfälle, mit ausführlicher Erörterung wichtiger Rechtsfragen, 1ter Theil. 8.

Schmidt, Karl Benjamin, practiſcher Unterricht in der ebräiſchen Sprache, beſonders für diejenigen, welche darinn ſchon den Anfang gemacht haben. gr. 8.

Schöne, C. H. Zergliederung des Heidelbergiſchen Catechismus, nach den Bedürfniſſen unſrer Zeiten, für Gebildete und Ungebildete, am meiſten aber für Chriſtusverehrer. gr. 8.

Schook,

Schook, Martin, alte Geſchichte der vereinigten Niederlande, aus der lateiniſchen Urſchrift überſetzt von J. D. Wagner, 1ter Theil. gr. 8.

Trampel, D. J. E. Beobachtungen und Erfahrungen, medicinischen und chirurgiſchen Inhalts. 2tes Bändchen, Fortſetzung über die Gicht und einige Mittel gegen dieſelbe, mit Kupfern. gros 8.

Zeitungen für Rechtsgelehrte, der Aufklärung der Rechtskunde und Juſtizpflege in Teutſchland gewidmet, 2ter Jahrgang. 8.

Avertiſſement.

Herr Rector Koeler zu Detmold wird dem erſten Theile ſeiner im Meyerſchen Verlage zu Lemgo herausgekommenen Sammlung ausgewählter poetiſcher Stücke aus den lateiniſchen Dichtern, nach und nach noch drei Theile folgen laſſen, welche ausgewählte Stücke aus allen Dichtern des römiſchen Alterthums enthalten werden. Der Endzweck iſt, den Jüngling, welcher bisher nur ſeinen Ovid, Phädrus, Horaz und Virgil kennen lernte, mit der lateiniſchen Dichtkunſt überhaupt bekannter zu machen. Da die Dichter in chronologiſcher Ordnung einander folgen ſollen, ſo werden die jungen Leſer dadurch in den Stand geſetzt werden, die Veränderungen der Poeſie in Abſicht ihres Geiſtes, ihrer Gegenſtände und ihres Ausdrucks zu überſehen. Ueberdem werden einige zu vollſtändiger Ueberſicht der lateiniſchen Dichtkunſt dienende Abhandlungen,

und

und jedem der ausgehobenen Stücke Inhalt und Einleitung beygefügt werden. Zur diesjährigen Michaelismeſſe ſoll der zweite Theil herauskommen. Kenner werden dieſer löblichen Unternehmung ihren Beyfall und Unterſtützung nicht verſagen.

Herr Erſch zu Jena zeiget an, daß er zur Ausfertigung ſeines Repertoriums über die Deutſchen Zeitſchriften und andere periodiſche Sammlungen für Erdbeſchreibung und Geſchichte bereits die Durchſicht der meiſten dieſer Schriften beendiget habe, ſo daß das Werk zur Oſtermeſſe 1790 in der Meyerſchen Buchhandlung zu Lemgo erſcheinen werde.

Der Vorzug dieſes Repertoriums vor dem zu Leipzig angekündigten Sachregiſter über die Deutſchen Zeit- und Wochenſchriften ſoll darin beſtehen: daß es nicht nur über alle einigermaßen wichtige Journale ſich erſtrecken, ſondern auch eine vollſtändige Geſchichte derſelben und kurze Litterarnotizen von den in den Sammlungen genannten Verfaſſern enthalten wird.

f..

B
A